EVANGELICAE

CONCIONES DOMINICA-
rum totius anni, per Dialectica &
Rhetorica artificia breuiter tra-
ctatæ, Subnexis Epiſtola-
rum argumentis,

PETRO ARTOPOEO
AVTORE.

DE SACRIS CONCIONIBVS FOR-
mandis compendiaria formula præfixa,
per D. Ioannem Hip-
pinum.

BASILEAE.

M. D. XLV.

Antopocco
8° 6865

IOANNES BVGENHAGIVS Pomeranus Doctor Theologiæ, Lectori.

DIcet aliquis an non, hoc eſt prophanare ſacrum dei uerbū, cum illud adigimus ad haſce Rhetorum & Scholæ regulas? Reſpondeo. Maledictus ſit qui uerbum dei prophanat. Prophanat autem qui pro eo humana docet aut illud ipſum peruerſa interpretatione deprauat. Syncerū Chriſti Euangeliū nobis commendatum eſt, & anathema ſit uel angelus è cœlo qui aliud euangelizare uoluerit. Verum quando idem Euangeliū ſalutis docendum eſt, quemadmodum præcipit Chriſtus: Ite, docete omnes gentes, prædicate Euangeliū omni creaturæ. Et quando Chriſtus dominus ſic uult & ordinat, ut nos homines hominibus loquamur: requiritur profecto, ut ſi nō eloquentiſsime, tamen non omnino ſine diſpoſitione aliqua aut ordine dicamus, ne ipſi uideamur non intelligere quid uelimus docere, & auditores fruſtra nos audiant. Quæ eſt enim illa oratio in qua nihil proponitur, nihil certo ſtatuitur, ubi nihil cohæret, ubi neq; cōfirmatione, neq; confutatione opus eſt, cuius epilogum neq; ſperare, neq; ipſe colligere potes? Quomodo docebimus, exhortabimur, aut conſolabimur alios per ipſum ſyncerum ſalutis noſtræ uerbum, ſi interim nulla ratio habenda eſt noſtri ſermonis? Vtinam præ

dicatores noſtri ſeculi qui Euangeliũ *profitentur in hoc toti incumbant, ut ſuas* Eccleſias *catechiſmum ſyncere doceant, ſed ita, ut ſperent non ſine fructu ſe docere, uiderent certè uberiorẽ prouentum euangelij ſacri, quando interea uani ſuæ ſapientiæ iactatores nihil aliud efficiunt, quàm ut infelix lolium & ſteriles dominentur auenæ.* Itaq; *conſilium noſtri* Petri *in ædendo hoc libello fuit, ut doceret, aut ſaltem admoneret imperitos dicendi, qua cõmoditate proferant, quæ ſuos auditores docere uolunt, nihil inuidens eis, qui uel ex arte, uel ſuopte ingenio, uel longo rerum uſu, meliora præſtare poſſunt, ad gloriam dei, & ſalutem multorum.* Chriſtiani *igitur pectoris fuerit hunc pium laborem boni conſulere.* Chriſtus *nos ſeruet in æternum,* Amen.

DE SACRIS CONCIONIBVS FORMANDIS

compendiaria formula.

QVEMADMODVM *ſine controuerſia, ſolus* Dei *ſpiritus proditæ ſcripturæ eſt autor, ita & ſolus ſui uerbi eſt uerus ac fidus interpres: imbuens omnium fidelium animos, ſana, & recta uerbi ſui cognitione, ut iuxta* Prophetæ *uaticinium, omnes ſint* Theodidacti. Hæc *autem inſtitutio nõ fit his ſeculis,* Euangelio *prodigijs confirmato miraculo, ſed diligenti nõ modo ſacrarũ, ſed aliarũ quoq; ſcientiarũ lectione.* Has *ſiquidẽ non temerè dedit* Dominus, *ſed ut ſint tum adminicula, tum etiã emblemata.* Niſi *enim ſacra alijs honeſtentur literis, nihil ita incomptũ, nihil ita perplexum, atq; ſacra ſunt.* Quod *ad noſcẽdos affectus, ad uerſuta rationis atq; adeò malitioſa cõſilia attinet, neq; clarius, neq; exactius diſcitur, quàm ex prophanis autoribus, quorũ ſcripta character ſunt animalis hominis, repreſentatq; uelut in ſpeculo rationis ſuaſus & carnis natiuos impetus.* Quod *aũt ad docendi aut diſcẽdi modũ ſpectat, id ex dialecticis & rhetoricis eſt petendũ.* Nemo *tam perſpicax ingenio, qui nõ infeliciſsime, omni opera luſa, uel diſcat uel doceat, neglecta dialectica et rhetorica.*

Nemo etenim clare, exactè, propriè, ac ordine docebit, niſi rhetorica fuerit ſecutus uelut Theſei filũ. Hãc aũt qui ſequitur ducẽ, præter hoc quod nõ modo ſuã adiuuat memoriã, ſed aliorũ itidem rem ita exponit planè, ac ſi in tabula ſuis expreſſã coloribus cerneres.

Tria autem ſunt rhetorica dicendi genera, in quæ cogatur omnis ſacra concio, uel complexi, uel ſimplicis thematis, cuius locos poſtea indicabimus.

CAPITA EORVM QVAE DOCENTUR IN ECCLESIA EX SACRIS.

tur in eccleſia ex ſacris.

Omnia autem quæ docentur: aut ſunt myſteria gratiæ, aut iræ dei, id eſt, legis aut euangelij: aut hiſtoriæ ſunt, aut doctrina morum eſt, qua ſuadetur aut diſſuadetur. Quo pacto hæc docenda ſunt, ſeorſum ordine docebimus.

DE ENARRATIONE TEXTVS

Interpretaturo textum Bibliorum, primum ſit curæ, uerborum genuina ſignificatio, quam aſſequetur linguis ipſis (quibus uelut fidelibus monumentis ſacra ſeruantur integra) accurate collatis et expenſis. Deinde reddat uerbum ex uerbo, rhetorico ordine diligenter indicato, ne infirmis cõſcientijs aliquid coactũ & extortum uideatur. Quod ſi obſcura dicta, aut impeditus locus inciderit, dictionis ſignificatum germanum colligendum eſt ex alijs locis, ubi circũſtantiæ textus hanc ipſam dictionẽ clarius exponunt. Obſcurus

locus

locus apertiori exponẽdus, ut ſcriptura ſcripturæ ſit expoſitio, ne comitatur quid humano ingenio quod poſſet (ſicut interpretum nugis ſæpe factam uidere licet) comminiſci, quod uel à ſcripturis alienũ eſſet, uel prorſus pugnaret: id tamen ita fiet, ne multitudine locorum obruantur auditores. Pauci adducendi, & illi qui in hoc uelut clariores electi, Scripturam ſcripturæ locis exponere non eſt opus, niſi coëgerit aut loci obſcuritas aut breuitas. Qui ſexcentos producunt in publicis concionibus ſcripturæ locos oſtentantes potius inſcitiam quàm eruditionem, nihil ædificant, obruunt tantum ita auditorũ animos, ut finito ſermone quid dictum ſit, ignorent. Oportet hanc ſibi præſcribant metam, facturi ad populum uerba, ut doceant, conſolentur, aut exhortentur, hucq́; tendant toto ſuo ſermone. Vrgeant omnia ad hunc ſcopum argumenta, idq́; ordine & prolixius, ut ſtupidiores animi etiam imbibant. Nam centones farcire, Stentoria uoce opplere delubra uſq; ad rauim: hinc inde, quaſi emendicatis occaſionibus debacchari in monachos, atq; alium præſtigiatũ dei cultum, ſalutaribus ſcripturæ uerbis omiſſis uel neglectis, non eſt docere euangelium, ſed potius ſacra prophano ore conſpurcare.

Si quis impia textu eſt demoliturus, oportet hoc nõ calumnijs ſed ſcripturæ uerbis ita clarè et benigne propoſitis, ut omnes intelligant in cõcuſſa cõſcientia, ita

tia,ita eſſe quemadmodum dicitur, & eum quoque, quem, audiunt, ſynceriter erga eccleſiam eſſe affectū et ex animo loqui. Suſpecta ſit omnibus fluctuantibus animis eorum doctrina, etiam ſi pia, ſi relicto textu, diuerticula quærunt.

Quod ſi res poſcat refutare erronea, exponere im poſturas regni Papiſtici, hypocriſim operū, et id genus, illud fiat peculiari oratione ad hoc inſtituta, ne dū hoc interpretandū facit, ſuſpectū reddat, & ſuam doctrinam. Poſtremò, ut qui textui fidem eſt facturus, teneat quo cōſilio ſeu occaſione ſcriptus ſit, & qui ſit eius fixus ſcopus. In hoc nempe tota uis argumentorū et rei perſpicuitas eſt ſita. Hæc intelligēda puta de omni textu, ſiue legis ſiue euangelij, ſiue hiſtoriarū. Idē eſt filum exponendi omnia in enarratorio genere.

DE EXPONENDIS PVGnantibus Locis.

In Scripturis loci ſunt pleriq; multi, qui ſecū in ſpe ciem pugnare uidentur, hos expedies ut congruāt ſibi per circunſtantias textus, & conſilium ſcriptoris. Sicut unus eſt dei ſpiritus, ita eſt una & eadem ſpiritus ſententia, pugnantia loquitur nunquàm. Sæpe etiā pugnare uidētur loci, propterea uocabula, ab interpretibus aut perperā, aut ſuperſtitioſe reddita, hos natiuis expones linguis, quibus locutus eſt dominus.

DE HISTORIARVM VSV.

Multi

Multi putant, cum hiſtoriæ ſacræ accõmodantur ad noſtra tẽpora, detorqueri carnali quodã aut philautias, aut odij affectu, ob id paucis de hiſtoriarũ uſu dicemus. Quia impietas humani cordis non credit facile, neq; legi neq; euangelio, nõ tam uerbo intendẽs quã externis rebus. Ideò Deus in ſcripturis ſacris duplicia exẽpla reliquit memoriæ prodita, gratiæ ſcilicet & iræ. In quibus uelut ob oculos ponit Legis & Euangelij uirtutem. Incomprehenſibilem ſuã bonitatem, & facilitatem, & intollerabilem ſuam ſeueritatem iuſti iudicij.

Sunt itaq; hiſtoriæ perpetuæ uolũtatis diuinæ tũ erga pios, tum impios argumẽta, qualis tũ erat Deus erga impios et impios: talis eſt et hodie. Ita hiſtoriæ ad poſteros pertinent, nõ quod hiſtoriæ reſpiciant ad hominis ipſius perſonã, ſed ad ipſius aut pietatẽ aut impietatem. Accommodaturus hiſtorias, recte oportet inter ſe cõferat iſtius ſeculi mores, cũ huius ſeculi moribus. Omnia quæ nouũ aut uetus Teſtamentũ habet, ad nos poſteros pertinẽt quoq;. Omnia ſiquidem ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam et conſolationem. Ad hæc hiſtoriæ ſunt prophetiæ loco, cum ſint hypotypoſes & zographiæ piorum & impiorum. Sunt quoq; Prophetarũ ueteris Teſtamenti ſigilla. Qui ad hunc modum accommodauerit hiſtorias, docebit feliciter.

DE DICENDI GENERIBVS.

Omnis erudita Concio ſiue ad doctrinam fidei, ſiue ad formandos mores pertineat, ſiue hiſtorica ſit, poteſt cogi in ſuũ rhetoricũ genus, Genera aũt quibus formetur quæcũq; ſacra concio, ſunt tria: Didacticũ Demonſtratiuum *et* Deliberatiuum. Docturus *itaq; aliquid, diſerte & exacte, orationem iuxta didactici generis organa inſtituat. Hiſtorice traditurus aut commendaturus aliquid, ſequatur genus* Demonſtratiuum. Formaturus *mores, ſuadendo aut diſſuadendo, locis generis deliberatiui utatur, quo aũt pacto fieri oporteat, docebit quoq; genus ſuo loco.*

DE DIDACTICO GENERE

Cõcionaturus *præuideat cuius generis oratio ſit futura: deinde ad eam eius generis artificium exigat. Si docturus eſt, ſequatur filum generis* Didactici. *Primum tamen de quo dicturus ſit, colliget certum thema, ut certe habeat quod dicat, ne rudes animos uarie, rerum mole obruat, & conſarcinata oratione operam ludat, & fruſtra laboret.*

Huius *generis duplicia ſunt themata. Simplicia &* Compoſita, *cuiuſq;* Didactici *generis thematis oratio ne auditores magnitudine rei et uerborũ multitudine onerentur, tribus locis uelut ſuis ſeptis claudenda eſt.*

Exordio.

Narratione,

Peroratione.

Qua

Quæ ſcilicet ſummatim præcipua narrata repetũtur.

DE EXORDIO.

Committo cuiusq; induſtriæ exordia, maxime omnium petenda ab obſeruatis circunſtantijs, à temporis, à loci oportunitate, à moribus auditorum, ab effectu incidentium cauſarum. Quisq; hic intendat proprias ingenij uires. Exordia *uires namq; certis regulis præſcribi nequeunt.*

Prima in Exordijs *eſſe debet cura cõcionatori, ut doctrinæ ſuæ fidem faciat.* Id *cõmode fiet ſi piè, ſi pro gloria* Dei *& omniũ ſalute, nullo carnali affectu uel quorundam odij uel amoris, ſe loqui teſtetur in cõſpectu* Dei. Exordio *adnectet* Inſinuationem: *quaſi quid acerbius aut lenius dicendũ foret, excuſet.* Et *hoc miris modis confert ad faciendam doctrinæ fidem.*

DE NARRATIONE.

Narratio *nihil aliud eſt niſi rei expoſitio quà thema propoſitum ſiue ſimplex ſiue complexum iuxta certa organa, clarè & ordine explicatur.*

ORGANA GENERIS DIDACTICI

Iuxta *præſcriptos hoſce* Locos *ſunt omnia themata ordine exigenda.* Et *illi ſatis admonebunt, quid & quomodo dicendum ſit:* Nimirum *propter inuentionem excogitati à priſcis rhetoribus.* Vnde, *finitio, cauſa, partes, officia, comparatio partium, ſimilia, affinia, contraria.*

Fides,

Fides, ſit thema exempli gratia.

Vnde? Ex *auditu uerbi* Dei, Rom. 10.

Finitio, eſt animi fiducia, qua aſſentimur uerbo Dei.

Cauſa, quod ex ſola fide uoluit imputare iuſticiam.

Partes. Eſt hiſtorica & iuſtificans fides.

Officia. Quod inſerit nos Chriſto.

Comparatio partiũ. Hiſtoricam & iuſtificantẽ compara. Similia & affinia. Quod per Chriſtum dat nobis gratiam & Dei *donum.*

Contraria. Incredulitas.

ALIVD EXEMPLVM DE *Matrimonio.*

Vnde? À Deo, *quia ipſe conſtituit in paradiſo.*

Quid? Mutuus cõſenſus quo alter alteri ſe dedat, omnia ſiue bona, ſiue mala tolleraturus.

Cauſa. Ne periret poſteritas.

Partes, Hic non habent locum, quia unicum eſt matrimonium.

Officia. Procreare prolem, piè educare.

Cõparatio partium. Idem ardor libidinis tam clericis quàm laicis, ergo ducenda eſt uxor.

Similia et affinia. Fœdera in rebus humanis ſeruantur, ergo Dominus uoluit matrimonium inuiolabile eſſe. Contraria, Scortatio.

Hi aũt loci non humano cõfingendi ſunt ingenio, ſed petendi ex apertis Scripturæ locis. Hoc enim diſ-

fert

fert oratio de rebus ſacris & prophanis. Prophana *formari poteſt ſagaci induſtria.* Sacra *autem ſacris ſcripturis fingenda eſt, etiam contra humani ingenij acumen, ob id cõuenit egregie uerſatũ eſſe in ſacris qui rhetorico ordine declaraturus ſit.* Et *ad hæc in parato habeat communes locos, unde uelut à penuario petat de quocunq; themate dicendi materiam.*

Complexũ *thema, quod ſemper probatur aut improbatur, uerſatur iiſdem in locis, in quibus ſimplex partibus thematis diligẽter iuxta præſcripta organa inter ſe collatis.* Et *hac ratione omnia euicentur, ita planè uera aut falſa eſſe quæ dicuntur, ut uel contra nemo mutire poßit.* Sed *hoc genus ſicut & alia genera diligenter meditationẽ poſcit.* Loci *ſiquidem ſinguli præter ſcripturas, exemplis illuſtrandi, alijsq; elocutionum figuris augendi ſunt, ut omnia auditoribus hoc modo fiant quàm planißima.*

Perorationi *accõmodamus* Narrationẽ, *ad inſtitutũ repetitis præcipuis argumẽtis.* Idq; *ſuis accõmodis affectibus petitis ab honeſto, inhoneſto, utili, inutili, facili, difficili, et neceſſaria.* Hoc *modo inſerẽda erit doctrina, ut penitus agat in animis uel corde radices.* Tropos, *ſchemata exaggerandæ rei, et amplificandæ orationis, commendo priuatæ diligentiæ cuiusq;.*

GENVS DEMONSTRATIVVM

Quoties *Concio incidit laudandi aut uituperãdi*

ali-

aliquid,uſus eſt huius generis. Quæ autem laudantur aut uituperantur,ſunt aut perſonæ,aut res,aut factū. Qui igitur in hoc genere dicturus eſt,oportet certū thema ſuæ orationis ſtatuat,& proponat in animo fixum ſcopū, in quem dirigat totum ſermonē iuxta hiſtoriæ uſum ſupra dictum,ut commode aut ad ſeueritatem aut bonitatem Dei: ut ſit hypotypoſis piorum aut impiorum.Huius aūt generis ſunt duplicia themata. Cōplexa et Simplicia.Perſonæ et Res, ſunt ſimplicium thematum,Facta ſunt compoſiti thematis.

Loci exempli uice.

Perſona,uiua creatura,ut Petrus. Paulus.

Factum,ut abrogare Miſſas,deſtruere ſtatuas.

Res,ut erigere ſcholas,domos pauperum.

LOCI PERSONARVM.

Oratio de perſonæ laudibus uel uituperio, uerſatur in tribus locis. Exordio, Narratione,et Peroratione. Ipſa namq; Narratio nihil aliud eſt niſi hiſtorica facti et totius uitæ recenſio, idq; iuxta ſequentia dicendi organa.Natalis,Educatio,Pueritia, Adoleſcentia,Iuuētus,Senectus,Mors,et quæ mortē ſunt cōſecuta.Sit nobis exempli uice Chriſtus. Natales Chriſti, Parentes fuerunt ignobiles,ignoti,infimæ ſortis.

EDVCATIO.

Maria educauit Chriſtū,ut matres cæteræ filios ſuos

ſnos, Pueritia ignobilis, delituit domi Chriſtus, obſequebatur patri et matri, tandē cōtulit cū doctoribus.

ADOLESCENTIA.

Cōuerſatus eſt ut ſimplex homo, quò cōſolemur ne deſperemus.

IVVENTA.

Huc uocandi ſunt Loci miraculorum Chriſti, quo modo ſanauit claudos, reſtituitq́; cœcis uiſum.

SENECTA.

Non habet hic locum, quia immatura morte ſublatus eſt, & hoc non fuit ſignum irati Dei.

MORS.

Huc adducendi ſunt omnes loci Euangeliſtarum de morte Chriſti.

PERORATIO.

Chriſtus ignobilis eſt in mundo, quare tu deſperas quantumuis infimæ ſortis? Ipſe pro te mortuus eſt, crede firmiter tua cauſa eſſe factum.

In ſingulis ijs organis, Dei bonitas et ſeueritas eſt conſideranda diligenter. Itaq; ex internis et externis commodis & incommodis. Hæc docendi ratio, mire facit ad cōfirmandos fluctuantes animos, et ad alendā fidem. Nulla enim res tam præſentē adfert conſolationem afflictæ conſcientiæ, & tam firmū roboramentū nutanti fidei, quàm res ſimillimæ ex ſacris hiſtorijs.

DE LAVDE VEL VITVPERIO *facti.*

Hæc generis Demonſtratiui pars ſemper habet

com-

*compoſitũ thema, & illud petetur ex narratione fa-
cti.* Eius *multus eſt hodie in eccleſia uſus cũ abrogen-
tur & nouentur multa, quorum reddenda eſt ratio,
cum in eccleſia nobis commiſſa, tum omnibus alijs,
idq; ſcripto.* Ideò *non ſolum formandis concionibus
hæc ſeruient, ſed ſtilo quoq;.*

LAVDANDI VEL VITVPE-
randi facti, organa.

Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Peroratio.

Narratio, *eſt hiſtorica facti cõmemoratio, ex hoc pe
titur propoſitio ſeu thema, de quo futurus ſit ſermo.*

Propoſitio ex Narratione *collecta, uelut certum
concionis thema confirmationum locis, uel proba-
tur aut improbatur.*

Loci *Confirmationis ſunt.* Honeſtum, Inhone-
ſtum Vtile, Inutile, Facile, Difficile, Neceſſarium, nõ
Neceſſarium.

Honeſtum, Inhoneſtũ *petitur à natura rei ex cõ-
munibus uirtutum et uitiorum locis.* A` *iure, ab inſti
tutoribus, à uetuſtate. Cæterorum locorum argu-
menta ſumuntur à circumſtantijs.*

DE LAVDE VEL VITV-
PERIO REI.

Hæc *tertia generis* Demonſtratiui *pars, ſemper
eſt ſimpliciũ thematum. Eius toties eſt uſus, quoties
aliquid*

aliquid, quod rei uocabulo conuenit, quod concionator eccleſiæ commendatum uelit, aut contra. In hoc ſimplici themate tantum ut certam ſummam comprehendat, oportet, eorum quæ aut commendaturus, aut uituperaturus coram Eccleſia.

Laudandæ uel uituperandi rei organa, Exordium, Propoſitio, Confirmatio. Peroratio. Hæc generis Demonſtratiui ſedes non habet narrationem, ſed ſummam, qua ſummatim proponitur, quod ſuis commendaturus, aut damnaturus ſit, & hanc ſummam Rhetores propoſitionem uocant. In hac Propoſitione, ſunt paucis colligenda omnia, quæ dictu uidebuntur neceſſaria: quia Confirmationis loci non extendunt ſe ultra Propoſitionis uerba. Quò igitur abſolutior eſt propoſitio, hoc plenior & clarior fit oratio per confirmationis locos. Confirmationis loci paulò ante patent.

GENVS DELIBERATIVVM.

Hortatoriæ aut dehortatoriæ, & obiurgatoriæ Conciones ad hoc pertinent genus, eiusq; themata ſemper ſunt compoſita. In hoc differt à tertia ſpecie generis Demonſtratiui, quæ rei uocabulo cenſentur quod illud in docendo, hoc magis in ſuadendo et diſſoluendo conſiſtat.

Themata huius generis ſunt dubia, ſicut nihil certi eorum, neq; approbatur, neq; damnatur de quibus

conſilia conferuntur. Themata fermè ex his naſcuntur locis: an ſit, quale ſit, & alijs circumſtantijs: ubi, quando, apud quos, quorum conſilio. Ex hoc dubio themate qui dicturus, ſtatuat certam Propoſitionem quid adhortaturus eſt, aut dehortaturus, & ad hanc omnia Confirmationis argumenta referantur.

CONCIONIS DELIBERATIUI GENERIS ORGANA.

Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Peroratio. Narrationes in hoc genere ſunt raræ, quod ſi tamen inciderint, ſunt perquàm breues.

LOCI CONFIRMATIONIS.

Honeſtum, inhoneſtum &c.

CONCLVSIO.

Hæc formandarum ſacrarum concionum indigitamenta præſcribere duximus operæpreciũ. Quiſq; conetur diligenter ſuos ſermones ad hæc inſtituere, quemadmodum multis & in ſingulis generibus me præmonſtratore didicit.

GENVS IVDICIALE.

Genere Iudiciali utimur in litibus & controuerſijs. Non eſt huius in ſacris concionibus creber uſus. Commode tamen eo utimur in concionibus, de Lege & Euangelio: ubi per legem damnamus hominem,

Euangelio

euangelio autem reſtituimus in gratiam. Item *in con controuerſijs & diſputationibus.* De Libero arbitrio de Purgatorio, de Sacramento Eucha riſtiæ, de Anabaptiſmate. Exem pla ſunt, ubi Chriſtus cōten dit cū Scribis & Pha riſæis paßim a= pud Euange liſtas.

FINIS.

VENERABILI VIRO AC DOMINO *Magiſtro Paulo de Rhoda, Stettinenſium Superattendenti, ac Patrono ſuo*

PETRVS ARTOPOEVS

S. D.

MVLTVM *debeo liberaliſſimis tuis erga me beneficijs, uenerande* D. M*agiſter Paule, tenuitas àutem mea facit, ne quid poſſim tuæ humanitati ſatis dignum pro gratitudinis argumento producere.* Valde *igitur precor, ut interim hoc quicquid eſt munuſculi, grato accipias animo, tuamq́; ſub limam & cenſuram ſumas: legas, relegas, tuoq; pro iudicio, aut addas aut auferas, ut tua opera, ſi uiſum eſt alijs uſui eſſe poßit.* Non *quidem hoc nomine, ut literatiſſimo huic ſeculo aliquid addam, ſed poſtquàm in confeſſo eſt* Dialecticam *&* Rhetoricam *maximè ad hoc diuinitus eſſe datas, ut ſint cuiusq; rei tractandæ uerisſima & aptiſſima inſtrumenta: nec poſſe quemquam de rebus rectè, uerè, ſignatè, ordine & ornatè dicere, qui non qualemcunque earum artium habet cognitionem.* Volui *propterea oſtendere tantum quàm frugale & facile ſit, res præſertim tam arduas & profundas, literas ſacras ſcilicet, per hæc ut propria ſua inſtrumenta tractare.* Neq; *hic* Commenta*ria præſcribo, quæ alioqui, tum à ueteribus, tum recentioribus*

centioribus, ſatis copioſa & bene docta præſcribuntur, ut non ſit opus aquam in mare, et ligna in ſyluam ferre: ſed artificia ſolum, commentariorum materiam, aſſigno, quæ facile ſatis multum, non inanem, & bene conuenientem uerborum copiam ſubminiſtrãt. Nec *deerunt uerba, re prius bene perſpecta, & ordine poſita, ut inquit, ille. Verbaq́; præuiſam rem non inuita ſequentur. Quàm ergo uellem, ut omnes concionatores eas artes perſpectiſſimas haberẽt, ita procul dubio fieret, ut minori negocio, faciliorıq́; memoria, docerẽt rectius, auditoresq́; caperẽt facilius, et hærerent menit tenacius:* Et quod Rhetores *aiunt*, O*ratorem oportere uirum bonum eſſe, idem ego de bono* Concionatore, *ut qui eſt* Oratorum *præſtantiſſimus, quoniam præſtantiora tractat: cenſeo eum oportere optimum uirum, bene doctum, bene moratum, literarumq́; ſacrarum, & bonarum artium ſtudioſum eſſe, non qui grandiloquentia tumeat, ſed qui grauitate, probitate & pietate, alijs præcellat, & ipſa uita doceat.* Et *quemadmodum, qui uult orationem ex arte & ingenio conſcribere, oportet primum inuenire, inuenta apte & ordine diſponere, & tandem ea bene eloqui.* Ita *ego quoque faciendum puto neceſſarium in omnibus concionibus, quæ ſunt excellentiſſimæ orationes, ne temere omnia commiſceantur, & ut in buccam uenerint præter*

iudicium, ordinem, & præmeditationem effuciantur, ut uulgo fit ab inertibus & indoctis conionatoribus, qui ſolis Teutonicis confiſi & contenti, nulli arti & latinitati ſtudent, ſed ſecuri ſtertũt & torpẽt. Vnde ualde timendum eſt, ut paßim fieri uidemus, ne res Euangelica patiatur irreparabile damnum, maximè cum uidemus pernicioſos Anabaptiſtas, & Sacramentarios, ibiq; genus uarium & ſubinde nouum, oppida paßim, & totius regionis perrepere, & ſua uenena ſpargere, uulgusq́; (quoniam rationabilia docent) ſtatim arripere & amplecti. Ad quos lupos inermes mercenarij concionatores exterriti, & uerſutis argumentis conuicti: aut in eorum deſcendunt ſententiam, ſimilia docẽt, & ita cancer iſte letalis incipit ſerpere, & ea peſtis graſſari: aut penitus fugiunt ac deſerunt oues, ita miſer ille grex malis doctrinis dilaniatur, & ab unitate fidei diſpergitur: quod præcaueat omnis gratiæ & miſericordiæ Dominus, & nobis danda erit opera, erigendis ſcholis, & bene, pieq́; efformanda iuuentute, ne quid tale fiat. Rogant me, quibus uiſus eſt libellus, ut lucem darem, diſtuli tamen dum tu, alijq́; doctiores de eo diceretis ſententiam, quæ iam uobis eſt libera. Quàm uellem tamen ut mea hac opera poſtpoſita, ipſe hoc onus & negocium ſubires, quod ſpero facies, qui longè maiorem eius rei uſum & exercitationem

habes. Equidem hoc, quicquid eſt, pro ingenij & artium exercitatione, atq; ut talentum meum ad fœnus uberius darem, & ut pluribus prodeſſem, ſi quid prorſum, feci. Bene diuq; ualeat tua reuerenda dignitas. Stettini, Menſe Ianuario.

Anno M. D. XXXIX.

b 4 DOMI-

DOMINCA PRIMA

ADVENTVS EVANGElium *Matthæi.*

CAPVT XXI.

ET Cũ appropinquaſſent Hieroſolymis et ueniſſent Bethphage ad mõtem Oliueti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra uos eſt, et ſtatim inuenietis aſinam alligatã & pullũ cũ ea, ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis uobis aliquid dixerit, dicite: Dominus hic opus habet, & confeſtim dimittet eos. Hoc autẽ factum eſt ut impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinã & pullũ filium ſubiugalis. Euntes autẽ diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos ueſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerũt. Plurima autem turba ſtrauerũt ueſtimen

ta ſua

ta ſua in uia. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in uia. Turbæ aũt quæ præcedebãt, & quæ ſequebãtur, clamabãt, dicẽtes: Hoſianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, Hoſianna in excelſis.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. *Euangeliorum ſimplex recitatio præcedat omnia exordia.* Exordium *cum ſuis locis,* Beneuolentiæ, Attentionis *& docilitatis eſt liberum: aut à loco, tempore: aut à re ipſa de qua dicturi ſumus. Illud obiter tamen omnium maximè concionatores admoneo, ne prolixa ducant exordia, quæ alioqui breuiſsima eſſe debent, & ad rem, de qua dicendũ erit, cõuenientia, ne ue excurſus faciant longiores, et ab re alienores. Caueantq; ne nimia prolixitas tædiũ faciet audientibus: nam non eſt, quod citius offenditur, quàm auditus, odioſaq; eſt omnis prolixitas, quin potius re ipſa bene & breuiter tractata, deſinant dum deſiderãtur, quæ (ut inquit ille) omnium gratiſsima concio eſt.*

Propoſitio. *De primo aduẽtu Chriſti, quomodo ad nos uenerit in carnem, & quomodo quotidie per prædicationẽ* Euangelicæ *gratiæ ad nos uenit ad ſecundum aduentum uſq;,* Ex *Zacharia propheta.*

Narratio. *Huius diei* Euangeliũ *cõſtat hoc argumento. Meſsias uaticinio prædictus eſt equitare in*

 Hieru

Hieruſalem ſuper aſina, regem fore manſuetum, etc.

Illud ex huius Euangelij hiſtoria uidemus in Ieſu Nazareno effectum. Ergo Ieſus ille, quem prædicamus, in quem credimus, uerè Meßias eſt. Atq; hoc in uniuerſum omnes Prophetæ uno conſenſu ſtudent, ut ſuſpenſum populi animũ, et fidem de Meßia uenturo confirment. Idemq́; porrò Euangeliſtæ urgent, ut Ieſum illum, quem prædicant, Chriſtum eſſe, ſecundum uaticinia Prophetarum declarent, eaq́; tanto diligentius citant, ut ſuas prædicationes, noſtramq́; fidem ex ipſis confirment: nempe quod per omnia ſic uenerit, quemadmodum Prophetæ de eo uaticinati ſunt, ut ſimus de noſtra ſalute certiores. Porrò autem quæ ſit huius Euãgelij de Chriſto prophetia, & qualis ſit primus eius aduentus, uidebimus ex Zacharia cap. 9.

Exulta ualde, ſeu uehementer filia Sion, iubila filia Hieruſalem.] Hortatio eſt ualde Euangelica, quæ deiectum & planè conſternatum animũ erigat. Nam ſi circumſtantias conſideras, uidebis Iudæorũ longã expectationẽ de Chriſto poſt multa ſecula, multas ærumnas, et captiuitates, poſt multorum prophetarũ egregia uaticinia ſuſpenſam, iam planè deſperatam eſſe. Zacharias enim inter poſtremos prophetas eſt poſt captiuitatem Babylonicã. Propterea conſolatur deſiderabũdos pios, et erigit eorũ animos, ne quid de Chriſto dubitent, quin certißimũ habeant quaſi rem

præſentem

præſentẽ. Nam exultare & iubilare, ſunt uerba relatiua, lætitiæ, rem bonam præſentem amplectentis.

Filia.] Conſolatoria, blanda, amica & beneuolentiæ uox eſt, ad crudelos Iudæos, et omnes pios, ſub cruce & peccati conſternatione conſtitutos.

Iubila filia Hieruſalem] Expolitio eſt, idem repetens ex Emphaſi, & nimio hortatorio adfectu, quaſi de rebus certiſsimis. Ecce rex tuus.] Aetiologia, & cauſa eſt iubilationis & exultationis.

Rex tuus.] Tibi promiſſus & deputatus, qui regat, defendat et ſaluet te. Veniet tibi.] Non eſt quod dubites & metuas, dum protrahit aduentum, emanſurum ſe. Ea eſt indoles Dei de ſuis promiſsis.

Iuſtus, ſaluator ipſe] Eſt deſcriptio regis à perſonæ et animi qualitate, Non erit uiolentus, depopulator, ſuorum pernicies, ſuperbus, & faſtu tumidus ad quem trepides, & uerearis accedere, quaſi ad tyrannum. Sed iuſtus erit, & iuſticiam colet, adeò ut à iuſtitia nomen habat. Hieremiæ 23. Dominus iuſtus noſter non ſupprimet tyrannide pauperes, imò iuſtitia ſua iuſtificabit, & ſaluator ipſe ſaluabit te, ab omnibus uiolentia Satanæ, legis & peccati.

Et pauper, et aſcẽdens ſuper aſinã et ſuper pullũ filiũ aſinæ] Non ergo rex erit aliorũ regũ more, opulẽtus et diues ſed ſubmiſſus, tenuis, modeſtus, humilis et mãſuetus, qui facile ſui ſimiles pauperes ſpiritu ſuſcipit,

admittit. Quam paupertatem externo etiam argumento demõſtrabit, ſcilicet equitabit in aſina et pullo filio ſubiugalis. Nec tamen adeò pauper, quinetiam ſua paupertate ſubiugabit ſibi et Iudæos & gentes, utrunq; populum: ſed gentes Iudæorum filij ſunt ex Iudæis per uerbum Dei nati.

Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equũ de Hieruſalem, & diſsipabitur arcus belli] *A potentia. Eſt & periphraſis pacis ab antitheſi. Eſt deſcriptio regni, ab animi qualitate regis. Erit rex pacis, & regnum eius, pacis regnum erit, pacifica loquetur gentibus, imperabit, & ſubiugabit ſibi populos pace. Hic de pace huius regis dices & diſcernes à mũdi pace. Non erit mundanus rex, ergo non erit mundanum eius regnum, nec pax erit mundana: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis, Non quomodo mundus dat, ego do uobis. In mundo preſſuram, in me pacem habebitis. Item Eſaiæ 9. capite. Pacis non erit finis, erit ergo perpetua pax, & æternum eius regnum, Pſalmo 144. regnũ tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione. Dominabitur à mari uſq; ad mare, à flumine uſq; ad fines orbis terræ. Eſt magnifica regis et regni ſui deſcriptio. Erit ſui regni populus, ſparſus ſuper omnem terram, & tamen pauper erit rex et ſpiritu & fortuna. Eſt rationi & mundo paradoxon.*

Non eſt

Non eſt rationale, ut pauper & tenuis rex dominum teneat omnis terræ, & diſsipet omnia bella, faciatq; perpetuam pacem. Non erit carnalis rex, ſed ſpiritu & uerbo dominabitur in cordibus fidelium ſuorum in medio mundi regno. Erunt ergo duo reges & regna, quæ diſcernes, & deſcribes per amplificationem à circumſtantijs & ſcripturæ locis. Pſalmiſta 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Non ſunt loquela, neq; ſermones quorum non audiantur uoces eorum Pſalmiſta 71. 110. Et Eſaiæ. 2. 8. 9. 11. 14. 22. 26. 27. 30. 32. 25. 40. 65. 52. & Hieremiæ 23.

Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui, &c.] Per Apoſtrophen. *Eſt mortis ſuæ, & redemptionis noſtræ deſcriptio, & finalis cauſa, cur uenerit. Redemptio noſtra fieri non potuit, niſi per effuſionem ſanguinis & mortem*: Ergo *interficiendus fuit tandem magnus ille rex omnis terræ*. Atque *hoc paradoxon eſt: nempe quod futurus eſſet rex æternus per uniuerſum orbem, attamen moriturus, ergo plus quàm humanus erit.* Hoc *increduli Iudæi in Chriſto non obſeruabant, propterea errauerunt, & excœcati ſunt.* Porrò *ſanguis eius, erit ſanguis eius teſtamenti, quo paciſcetur cum omnibus fidelibus.*

Emittes] *Vis & potentia ſanguinis & mortis Chriſti eſt omnibus credentibus.*

Vinctos tuos.] *Vincti Chriſti ſunt quod ipſe ſolus eos liberaret. Concluſit Dominus omnia ſub peccato, ut omnium miſereatur.*

De *lacu in quo non eſt aqua*] *Eſt periphraſis carceris malæ conſcientiæ, & perpetuæ damnationis, in quo non eſt refrigerationis aqua.*

Hæc eſt magnifica illa deſcriptio noſtri regis ſui imperij & latiſsimi regni ſui, redemptionisq́; noſtræ.

Hæc à prophetis de Meſsia uaticinata, Apoſtoli et Euangeliſtæ in Ieſu Nazareno effecta eſſe teſtantur, & confirmant eſſe uerum Meſsiam. Adeò et eius equitatum in Hieruſalem huius Dominicæ Euangelium declarat, cuius narrationem ſimpliciſsimè ſecundum hiſtoriam recitabis & applicabis.

Citatos autem locos ſcripturæ, bonus concionator pro tẽpore & rei neceſſitate, aut augebit aut minuet, obſeruato tantũ ſcopo Euangeliſtæ, qui declarat Ieſum Nazarenum eſſe Meſsiam: ad fidei noſtræ confirmationem, ad quam auditorum animi ſunt concitandi. Plura uidebis infra Dominica Palmarum.

Epilogus conſtat Enumeratione ſuperiorum, & Exhortatione.

DOMINICA PRIMA ADuentus, *Epiſtola Rom. 13.*

Præparat & exhortatur hominum corda ad Chriſtianam uitam.

FRatres, Et hoc ſcientes tẽpus, quia hora eſt iã nos de ſomno ſurgere. Nũc eñ propior eſt noſtra ſalus quàm cũ credidimus. Nox proceſsit, dies aũt appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. Non in cõmeſſationibus et in ebrietatibus: nõ in cubilibus et impudicitijs: nõ in cõtentione & æmulatione, ſed induimini dominũ Ieſum Chriſtum, & carnis curã ne feceritis ad deſideria.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Euangelium Lucæ. XXI.

ET erũt ſigna in ſole & luna et ſtellis, & in terris preſſura gentiũ præ cõfuſione ſonitus maris et fluctuũ: areſcẽtibus hõibus præ timore et expectatione, quæ ſuperueniẽt uniuerſo orbi. Nã uirtutes cælorũ mouebũt. Et tũc uidebũt filiũ hominis uenientẽ in nube, cum poteſtate magna et claritate. His aũt fieri incipiẽtibus: reſpicite & leuate capita ueſtra, quoniã appropinquat redemptio ueſtra. Et dixit illis ſimilitudinem

nem

nem: uidete ficulneam & omnes arbo-res, cum producunt iam ex ſe fructum ſcitis quoniã propè eſt æſtas. Ita & uos cum uideritis hæc fieri ſcitote, quoniam propè eſt regnum Dei. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlũ & terra tranſibũt: uerba aũt mea nõ tranſibũt.

EVangelium eſt generis Deliberatiui.

Narrationem ſecundi aduentus Chriſti ad iudicandum, ſequitur hortatio. Pijs pro conſolatione, Impijs pro terrore.

Exordium eiusq; loci, ſunt concionatoris arbitrio, aut à collatione utriuſq; aduentus. Poteris & obiter præfari prauitatem & malitiam mundi hoc noſtro ſeculo, in quo omnia ad faſtigium uſq; uenerunt, quæ merito prouocent Dominum ut maturet iudicium. Habemus & huius iudicij teſtimonia prophetarum, Pſal. 96. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in ueritate ſua. Item, Dies illa, dies iræ, dies calamitatis & miſeriæ, dies magna & amara ualde &c. Sopho. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſumationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.

À Definitione. Dies Domini, ſeu iudicium extremũ eſt, quandò Dominus Ieſus Chriſtus extremam ſententiam

ſententiam dicet omnibus hominibus, aut ad uitam, aut ad mortem æternam. Eius diei tempus ſcire nos non uoluit Dominus, Marci 13. Actorum 1. ſignis tamen declarat.

Propoſitio, de ſignis præcedentibus iudicium, Poſtea de iudicio ipſo.

Narratio ſignorum. Antichriſtus abrogabitur 2. Theſſa. 2. Helias reſtituet omnia. Prædicabitur euangeliũ regni per uniuerſum orbem, & tunc ueniet conſummatio, Matth. 24. Audientur prælia, & rumores præliorum, ſeditiones, ſurget gens contra gentem. Erunt preſſuræ gentium, & tribulatio magna. Serpens antiquus ſoluetur ad modicum tempus. Apo. 10. Hoc eſt Pſeudoprophetæ, Hæretici, Anabaptiſtæ, Sacramentarij, Suermerij, Seductores, Fanatici ſpiritus. Timoth. 4. 2. Timo. 3. Erunt peſtilentiæ, fames, terræ motus per loca, erunt confuſiones ſonitus et fluctus maris. Erunt eius rei ſigna in ſole, luna & ſtellis, Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, Stellæ cadent de cœlo, Virtutes cœlorum commouebũtur. Ea ſigna cõparat ficulneæ, ut ex qua conſideramus, æſtatem ita ex his ſignis colligamus diem Domini.

His fieri incipientibus.] À certitudine. Hic dies pijs eſt in magna expectatione & conſolatione, Impijs in magno terrore.

Collatio adhæc, ab hominum ſecuritate 2. Pet. 2. Vbi

eſt promiſsio & aduentus eius? Dicent *pax, ſecuritas & tuta omnia* 1. Theſſ. 5.

A *Similibus. Sicut erat in diebus* Noë, *ita erit in aduentu filij hominis.* Sicut *fulgur, ita apparebit* Dominus *ſicut fur in nocte latenter, & præter opinionem ueniet, quaſi* Dominus *profectus ad nuptias, ab inopinato ueniet.* Et *quaſi laqueus occupat et obruit uolucres,* Lcæ 21. Ita *irruet ſuper eos repentinus interitus.* Et *tunc apparebit ſignũ filij hominis in cœlo.* Et *plangent omnes tribus terræ.* I*gnis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius,* Mittet *angelos ſuos cum tuba & uoce magna, & congregabũt electos eius à quatuor uentis,* Matth. 24. 1. Theſſ 4. Apoca. 10. Et *dabit mare mortuos ſuos,* Mors *& infernus mortuos ſuos.*

DESCRIPTIO IVDICII.

Et *tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube, quæ recepit, reddet eum cum poteſtate magna et maieſtate & omnes angeli cum eo, & ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.* Et *congregabuntur ante eum omnes gentes, ſeparabitq; eas ab inuicem, etc.* Apoca. 20. *Sedebit ſuper thronum magnum candidũ, à cuius conſpectu fugit terra & cœlum.* Et *mortui magni & puſilli ſtabunt in conſpectu throni.* Et *tunc aperietur liber uitæ, et libri conſcientiarum, & iudicabuntur ex his quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera ipſorum*

um. Qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui erò mala, in ignem æternum. Ea Mat. 25. *latius per arabolas declarat.* Adde Dan. 12. Eſa. 30. 60. Apo. 2. *De inferno ſeu perpetuo cruciatu, Sapien.* 5.

A *Confirmatione.* *Cœlum & terra tranſibunt, erba mea non tranſibunt.*

Epilogus conſtat Enumeratione & exhortatione. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus ue ter uenturus ſit. Sint lumbi ueſtri præcincti, et candeæ ardentes in manibus ueſtris, &c. Attendite, ne forè grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & uræ huius uitæ, &c. Vigilate omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Lucæ 21. *Abnegantes omnem impietatem et ſecularia deſideria, ſorie et iuſte & pie uiuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni dei Tium* 2. *Cætera addet bonus concionator quæ huc ſpectant, & quæ aptè referenda uidentur.*

EPISTOLA ROMA. XV.

Chriſtum ſuo aduentu impleuiſſe promiſsiones Patribus factas, ipſisq; & nobis gentibus miſericordiam attuliſſe æternam.

QVæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinā ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationē ſcri-

 pturarum

pturarum ſpem habeamus. Deus au
patientiæ & ſolatij det uobis idem ſ
pere mutuo inter uos ſecundum Ieſu
Chriſtum, ut unanimes uno ore hon
rificetis Deum & patrem Domini no
ſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipi
inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit uo
ad gloriam dei: Dico enim Chriſtu
Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſion
propter ueritatem Dei, ad confirma
das promiſsiones patrum. Gentes a
tem ſuper miſericordia honorent Dei
ſicut ſcriptum eſt: Propterea confit
bor tibi in gẽtib. dñe, et nomini tuo ca
tabo. Et iterum dicit: Lætamini gent
cum plebe eius. Et iterum: Laudate o
mnes gentes Dominum, & magnific
te eum omnes populi. Et rurſus Eſaia
ait: Erit radix Ieſſe, et qui exurget reg
re gentes: in eum gentes ſperabun
Deus autem ſpei, repleat uos omni ga
dio & pace in credendo: ut abundet
in ſpe & uirtute ſpirituſſancti.

DOMINICA III. ADVENTVS

Euangelium Matthæi XI.

Ioann

[I]Oannes autem cum audiſſet in uin-
culis opera Chriſti, mittens duos di-
[sc]ipulis ſuis, ait illi: Tu es qui uenturus
[e]s, an aliũ expectamus? Et reſpondens
[I]eſus ait illis: Euntes renunciate Ioanni
[q]uæ auditis & uidetis. Cœci uident,
[c]laudi ambulant, leproſi mundantur,
[ſu]rdi audiunt, mortui reſurgunt, pau-
[p]eres euangelizantur: & beatus eſt,
[q]ui nõ fuerit ſcandalizatus in me. Illis
[a]utem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere
[a]d turbas de Ioãne. Quid exiſtis in de-
[ſe]rtum uideri? Arundinem quæ uento
[a]gitatur? Sed quid exiſtis uidere? Ho-
[m]inem mollibus ueſtitũ? Ecce qui mol
[li]bus ueſtiũtur in domibus regũ ſunt.
[S]ed quid exiſtis uidere? Prophetam?
[E]tiam dico uobis, et plusquàm prophe
[ta]m. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt:
[E]cce ego mitto angelũ meũ ante faciẽ
[t]uam, qui præparabit uiam tuã ante te.

[E]Vangelium eſt generis Didaſcalici. Quæritur an Ieſus ſit Chriſtus, & colligitur ex ſignis, Ieſum [eſ]ſe Meßiam.

Exordium eſt liberum, uel à tempore, cum iā Ioannes eſſet in carceribus: aut à fortuna, aut ab offi cio ueri preconis Chriſti, qui diſcipulos ſuos, non a ſe, ſed ad Chriſtum manu ducit, quod hactenus ma doctores non fecerunt. Ioannes iam ante diſcipulo ſuos de Chriſto fecit certiores, cū digito eum demo ſtrauit, nunc autem ut ab ipſo idem doceantur, & t tanto liberius accedant ſuo nomine mittit.

Propoſitio ſeu Quæſtio eſt. *Tu ne es ille, qui ue turus eſt, an alium expectamus?* Hæc non propter ſe *ſed ſuos diſcipulos interrogat, non dubitat iam, d quo ante certa prædicauit.*

Cœci uident, &c.] Narratio ſui eſt. Non clar *reſpondet ad interrogationem, quod eſſet incerti & moueret dubium: ſed remittit ad ſcripturas, et e ſignis & factis colligere iubet, ſe eſſe uaticinatum il lum* Meſſiam, *de quo prædictū erat, ut aperiat oculo cæcorū, coram quo ſaliret, ſicut ceruus, claudus, et qui cōſolaretur lugentes, euangelizaret pauperibu annum placabilem domino.* Eſa. 35. 61. *Ecce uideti per me uaticinata miracula fieri, auditis bona nunci ari adflictis cōſcientijs, hæc renūciate Ioāni, ut ex hi colligat, quis ſim.* Eſt *modeſtia Chriſti, & relegati ad ſcrpturæ teſtimonia, quæ reddunt nos de Chriſt et ſalute certiores, ſine quibus nulli credere debemu*

Beatus qui non fuerit offenſus in me] *Cautio of fenſioni*

ſenſionis & commendatio conſtantiæ, eſt in Chriſti tenuitate et humilitate.

Iam non dubium eſt, Ioannem hæc reſponſa diſci pulis ſuis reuerſis, declaraſſe, et eos per hæc de Chriſto feciſſe certiores.

Hic poteris excurrere in Chriſti fructum, qui languores & ægritudines noſtras tollat, dum medetur et corpori et animæ. Cæci uident, ſurdi audiũt, claudi ambulãt, leproſi mũdãtur, pauperib. euãgelizãtur

Definit quid pauperes? Quid Euangelium?

Abeũtibus diſcipulis bene loquitur de Ioãne. Non bene decet in os laudare. Atq; hæc facit, ut confirmet audientium animos de Ioanne, & quid eſſet Ioannes: nam multi erant in ea turba, qui audierant, & baptizati erant à Ioanne.

Quid exiſtis in deſertum?] Taxatio eſt neglectus uulgi de Ioanne. Et eſt cõmendatio Ioannis de eius teſtimonij et prædicationis cõſtantia. Sequuntur bona prædicata de Ioãne, de quolibet bono concionatore.

Ioannes non eſt uacillans arundo, non iam dubitat de quibus ante de me aſſeruit. Non mollibus ueſtitur, non loquitur ad gratiam hominum, ut lautè uiuat: propterea in carceribus, nõ in domibus regũ eſt.

Non eſt propheta, ſed pluſquàm propheta: non prænunciat, ſed demonſtrat Meßiam. Quo loco obiter inſinuat ſe eße uaticinatum Meßiam.

Hic eſt de quo dictum eſt.] Malachiæ tertio. *Confirmat ſcripturæ teſtimonio.* Hinc ſequitur *doctrina & exhortatio ab exemplo Ioannis de bono Concionatore. Hæc poteris latius amplificare ab exemplis & locis ſcripturæ.*

Confutatio ab Antitheſi de malis concionatoribus et ſeductoribus, qui incautam multitudinem non ad Chriſtum, ſed à Chriſto ad ſuas traditiones ducũt, ut hactenus fecit totus Papatus & Monachatus, Hæretici & Antichriſtiani.

EPISTOLA I. COR. IIII.

Omnes Apoſtolos, & Concionatores eſſe miniſtros Chriſti, optime referenda ad Ioannem, qui fidelis miniſter Chriſti fuit.

SIc nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpẽſatores miniſteriorũ dei. Cæterũ quęritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, ut à uobis iudicer, aut ab humano die. Sed neq; meipſum iudico. Neq; enim mihi cõſcius ſum: ſed nõ in hoc iuſtificatus. Qui aũt iudicat me, Doñs eſt: Itaq; nolite ante tẽpus iudicare quoaduſq; ueniat Doñs qui et illuminabit abſcõdita tenebrarũ & manifeſtabit

manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à deo.

DOMINICA IIII. ADVENTVS
Euangelium Ioannis 1.

ET hoc eſt teſtimoniũ Ioãnis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad eum, ut interrogarent eum. Tu quis es? Et confeſſus eſt, et non negauit. Et cõfeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Elias ne tu? Et dicit, Non ſum. Propheta es tu? & reſpondit, Non. Dixerũt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his qui miſerunt nos? quid dicis de teipſo? Ait: Ego uox clamantis in deſerto, dirigite uiam domini, ſicut dixit Eſaias propheta. Et qui miſsi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neq; Elias, neq; propheta? Reſpondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem ueſtrum ſtetit quẽ uos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt

me uenturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus ut ſoluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta ſunt, trãs Iordanẽ, ubi erat Ioannes baptizans.

EVangelium de teſtimonio Ioannis, eſt generis Didaſcalici: quoniam hic quæritur, & prædicat de ſe quis ſit Ioannes.

Exordium commodius erit à loco, tempore, perſona, uita, prædicatione, et habitu Ioannis, unde commoti et cauſati Iudæi, mittunt ad ipſum interrogare, an forte ſit ipſe Chriſtus. Lucæ 2.

Propoſitio. Teſtimoniũ reddit Ioãnes de Chriſto quoniam hoc ſuum officium et negocium ad quod miſſus erat, Ioannis 1.

Narratio à quæſtione. Tu qui es? Breuiter reſpõdiſſet Ioannes. Ego ſum uox clamantis, Eſaiæ 40. Ego ſum angelus ille. Malach. 3. Sed diluit prius falſas ipſorum opiniones. Non ſum Chriſtus, ſeu uaticinatus Meſsias. Non ſum Helias, quem putatis propria perſona reuerſurum. Non ſum propheta, non uaticinor tantum, ſed digito demonſtro Meſsiam. Aut non ſum propheta ille de quo Deut. 18.

Egregius eſt hic locus de remotione uanæ, adeò & oblatæ gloriæ, quem non ſibi ſumit Ioannes: eam falſi doctores data omni opera, obuijs ulnis uenantur

captant,

raptant & ampleƈantur. Hoc intereſt, *inter ueros & falſos concionatores.*

Quis ergo es?] *Quid prædicas de teipſo? Tãtum de titulo quærunt, non de officio.* Ego uox] *Definitio ſui eſt, ab officio, æquè omnium bonorum concionatorum.* Chriſtus *uerbũ eſt, concionatores uox uerbi ſunt:* Ac *ſi diceret:* Non *uerbum meum adfero, non ego clamo, ſed dominus ipſe clamat: cuius uox ſum, eius uerbum perſono, ſcilicet:* Dirigite *uiam domini, rectas facite ſemitas eius &c.* Dominus *in ipſo eſt itinere, penè me ſequitur.* Vaticinatus Meſſias *adeſt, parate ipſi uiã, ſecedite de uia.* Pœnitentiam *agite uitæ prioris, ut inueniat ſuperba et impia corda ueſtra humiliata, deiecta et emẽdata, alioqui non fugietis eius iram.* Hæc *eſt prædicatio* Ioannis, *ita paratur* Chriſto *uia, terrore peccati, et promißione gratiæ.* Ea *poteris amplificare à loco pœnitẽtiæ, quid et quotuplex.*

Sicut dixit Eſaias.] *Confirmat ab autoritate ſcripturæ.* Satis *euidẽter arguit, declarat et aperit* Meſſiæ *tempus, modo obſeruaſſent excæcati* Iudæi, *ſed ut nunc, ita tunc, negligentia præterierunt, quæ eſt indoles impij uulgi de uerbo dei, etiam hodie.*

Quid *ergo baptizas?*] Porrò *argumentis claris edocti et conuicti de* Meßia, *nõ latius quærunt, nec doceri uolunt de* Chriſto, *pro fabula habent quæ dicit, adeò & dæmonium habere putant, ut teſtatur*

Chriſtus

Chriſtus poſtquàm non inueniunt in eo quod quærũt Iam quaſi per excandeſcentiam interrogant de autoritate ſui baptiſmi, quoniam ipſi ſibi ius & autoritatem uendicat ritus ſtatuendi in populo. Amarum eſt illis, quod ita ſua prædicatione & baptiſmo multitudinem poſt ſe trahit & allicit. Quamuis ſciunt ex ſcripturis, Eſa. 44. Ezech. 36. baptiſmũ eſſe ex deo, ſed cum ipſe non eſt Meßias, nec Helias, nec propheta, unde ſibi ſumat eam autoritatem: nam cuiuſq; operis ſolidum & firmum, eſt autoritas.

Reſpondet à diſcrimine ſui baptiſmi, & baptiſmi Chriſti. Reſpondißet clarius ſe diuinitus miſſum eſſe ad baptizandum, ut inquit infra Ioannis 1. nihil profeciſſet tamen, dixiſſent, ubi Deus ſecum locutus eſſet. Propterea rem ſimplicißimè narrat, ita tamen ut urgeat & teſtetur Meßiam adeſſe. Ac ſi diceret: Perſpicite officium meum, tunc facilè cognoſcetis qui ſim. Hic moraberis, et expones latius, quid ſit baptiſmus aquæ, & quid baptiſmus ignis & ſpiritus. Quid interſit inter baptiſmum Ioannis & Chriſti.

Ipſe eſt qui poſt me uenturus eſt] Eſt deſcriptio Emanuelis Dei & hominis.

Cuius non ſum dignus &c.] Tapinoſis & modeſtia Ioannis eſt, ut exaltet Chriſtum.

Hæc in Bethabara.] Epilogus. À loco ubi erat frequentia & confluxus eorum, qui baptizabantur.

Hoc

Hoc ſcilicet teſtimonium factum eſſe, clara luce, palàm, & conſpicuè omnibus, ne quid habeant Iudæi, quod pro ignorantia adducant: propterea ſubinde Chriſtus illis obijcit teſtimonium Ioannis. Huc refer cætera loca de teſtimonio, officio, et opera Ioãnis. Obiter ſi uacat et opus eſt aſperges Præoccupationem & Refutationem imitationis uitæ, & habitus Ioannis, ut hactenus factum eſt.

Oritur hic quæſtio, cur neget Ioannes ſe eſſe Heliam, cum tamen Chriſtus affirmat eum eſſe Heliam Matth. 11. Reſpondeo. Ioannes quidam erat Helias ſpiritu, habitu, & uita, non autem perſona & nomine, Lucæ 1. Ipſe præcedet ante ipſum in ſpiritu & in uirtute Heliæ. Figura & phraſis eſt, ut illud: Alius Latio iam partus Achilles. Es uuird ein rechter Helias ſein. Ita accipiamus, & illud Matth. 4. Ante ſecundum aduentum Chriſti Helias reſtituet omnia.

Exacta deſcriptio Ioannis erit in eius natalibus. Hic tantum de eius officio agitur.

EPISTOLA PHILIP. IIII. DE *uicinitate & propinquitate Chriſti.*

FRatres gaudete in domino ſemper iterũ dico gaudete. Mãſuetudo ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim propè eſt, nihil ſoliciti ſitis ſed

ſed in om̃i oratione, & obſecratione cũ gratiarum actione petitiones ueſtræ innoteſcãt apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum cuſtodiat corda ueſtra et mentes ueſtras per Chriſtum Ieſum.

IN DIE NATIVITATIS CHRI-
ſti Euangelium Lucæ II.

FActum autẽ eſt in diebus illis, exijt edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur uniuerſus orbis. Hęc deſcriptio prima, facta eſt præſide Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatẽ. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatẽ Dauid, quæ uocatur Bethlehem: eò quod eſſet de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore, quæ erat prægnans. Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia nõ erat ei locus in diuerſorio. Et paſtores

erant

erant in regione eadem uigilantes, & cuſtodientes uigilias noctis ſuper gergem ſuum. Et ecce angelus domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos. Et timuerunut timore mgno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnũ, quod erit omni populo, quia natus eſt uobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis ſignum. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſsimis deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. Exordium eſt liberum à rei ipſa, loco, aut tempore, aut ab articulo noſtræ fidei, natum ex Maria uirgine: cum locis beneuolentiæ, attentionis et docilitatis.

Propoſitio, de natiuitate Chriſti, Deus factus eſt homo. Mater permanſit uirgo, contra naturam et rationem. Meßias ille Emanuël, Rex Iſraël per prophetas uaticinio prædictus uenit, in quo completæ ſunt prophetarum ſcripturæ.

Narratio

Narratio ſit primum à uaticinijs Propheta-rum de Meſſia.

À *definitione eſſentiali.* Meßias eſt Emanuel. Deus & homo. Eſa.7. Baruch.3.

À Natione. Dabo in Sion ſalutem.

À Natalibus. Promiſſus Abrahā, Iuratus Dauid.

À parentibus matre Maria uirgine, Eſa.7.

Deus ſine matre. Homo ſine patre.

À Patria Nazareth.

À Loco Bethlehem, Micheæ 5.

À Tempore. Non auferetur ſceptrum de Iuda, et dux de fœmore eius donec &c. Gene.49. Item, ex-pletis ſeptuaginta hebdomadis. Dani.8.

Ab humilitate, tenuitate et paupertate aduentus. Zacha.9. Et quod non terrenus rex futurus eſſet, qualem expectabant Iudæi, Eſa.9.

Tranſitio. Tantum de eius natiuitate ex prophetis breuiter, qui uolet addet plura. Confirmabis ex Euangeliſtarum hiſtorijs hæc in Ieſu Nazareno eſſe effecta contra incredulos Iudæos, qui nobis huiuſmo-di producere non poſſunt.

Ab eſſentia, quod Ieſus Nazarenus Deus ſit, id teſtatur angeli nunciū ad Mariam, Lu.1. & ſua (dum erat in terris) miracula. Item quod Deus homo factus ſit, Ioan.1. Deus erat uerbum. Et uerbū caro factū eſt &c. Item Ioannes Baptiſta multis teſtatur Ion.1.

Quod

Quod mater uirgo ſit, teſtatur ſecum diſputabũdus Ioſeph, de impraegnatione Mariae coniugis, Mat. 1. Quod erat natione Iudaeus, & ex progenie Dauid natus, extat ex Maria matre, quae erat ex tribu Dauid prognata, Mat. 1. Lucae 1. & 3. Quod Nazarenus eſt. Ioſeph nutritius pater habitauit Nazaret, Mat. 2. Quod natus eſt Bethlehem, ſubſeruiuit exactio tributi Caeſaris Auguſti: nam Bethlehẽ erat ciuitas Dauid, & Ioſeph erat ex tribu Dauid: oportuit ergo Ioſeph proficiſci Bethlehẽ ut cenſeretur. Quod ſuo tempore ſcoeptrum erat ablatum, & nullus reſtabat rex Iudaeorum. Item teſtatur Auguſtus Caeſar, cui ſubiectus erat totus orbis. Quod rex pacis, tempore pacis naſceretur, etiam ſubminiſtrauit Auguſtus.

Propoſitio. Porrò humilem, & pauperem eius natiuitatem teſtatur ipſa ueritas.

Narratio natiuitatis. Prae paupertate Ioſeph cogebatur ſecum ſumere coniugem Mariam: quippe quod non haberet domi, cui committeret grauidam. Et quod ex ſcriptura ſciebant Chriſtum naſcendum eſſe Bethlehem. Ita nihil fit caſu. Vbi iam ex tarditate itineris hoſpitia & loca commodiora in hoſpitijs erant praeoccupata, & quod erant pauperculi humunculi, unde nõ multus quaeſtus proueniret hoſpiti, neceſſitas coëgit eos diuertere in ſtabulum.

Poſtquàm iam tempus partum urgebat, caeteris

interim ſtertentibus, & nihil obſeruantibus: dum medium ſilentium tenerent omnia: dum nulla ſpes erat reliqua de uenturo Meſsia, noctu, media et acuta hyeme, apud ignotos, non domi ſuæ, in ſtabula inter bruta, non in aula, aut qualicunq; commodo loco, peperit ſummum illum dominatorem cœli & terræ, nulla præſenti obſtetrice, nullis in partu adminiſtrantibus, & obſecundantibus in ſumma egeſtate, nullo ſtructo foco, nullis adornatis infantilo cunis, & ſtrato puerperæ lecto, cogitur pannis inuoluere reclinare in præſepium, & fœno ſtipare.

Exclamationes *hinc erumpunt beneficiorum dei humilitatis* Chriſti *&c.* Poteris *hæc latiſsime amplificare per circumſtantias.* Quis, *quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Porrò *pauper hic* Chriſtus *pauperibus paſtoribus noctu uigilantibus, concuſsis conſcientijs, diem ſalutis cupide expectantibus, ab angelis diuinitus nunciatur natus, quod eſt gaudiũ magnũ omni populo credenti, diuitibus interim relictis.*

Inuenietis.] *Confirmatio à ſignis.* Quem *puerum inuenietis pannis inuolutum, & poſitũ in præſepio, hic* Chriſtus *dominus, ac ſi diceret, cæteros non inuenietis itidem, ſed bene compoſitos in cunis.* Item, Signum *placati* Dei *eſt puer* Chriſtus *homo.* Allegorias *huius loci ex alijs quæres, ego nudis uerbis gaudeo & ſtudeo.* Canticum *angelorum arguit eorum*

gaudium

gaudium & congratulationem de noſtra redemptio ne à Satanæ imperio. Gloria deo] *Relatione beneficiorũ, & gratuitæ miſericordiæ, ſcilicet nati Chriſti.*

Pax in terra] *Inter deum & hominem.*

Hominibus bona uoluntas.] *Ergo deum & eius mandata, quæ ante fuit coacta. Iam homines erunt ultronei, & faciles per fidem.*

Epilogus, *& fructus natiuitatis* Chriſti. *Ieſus ille* Nazarenus, *uaticinio prædictus.* Meßias *uerè natus eſt ſecundum uaticinia prophetarum, ad ſalutis et fidei noſtræ confirmationem.* Exhortatio *ad gratiarũ actionem & fidem, et ut ab angeli nuncio, hoc eſt, uera prædicatione de* Chriſto, *cum paſtoribus ad puerum* Ieſum *accedamus fide, quia facilis & liber acceſſus eſt.* In *ſtabulo eſt, non eſt in principis aula.* Puer *eſt, non nouit diſcrimen & acceptionem perſonarum.* Pauper *eſt, pauperibus gaudet, eosq́; libenter ſuſcipit, id arguit, quod pauperibus paſtoribus, non principibus & tumidis* Phariſæis. *Per angelos ſuam natiuitatem fecit annunciari.* Deus *homo factus eſt: propterea quod uult cum hominibus commercium habere, eosq́; à terris in cœlum ſubuehere &c.* Porrò *eius paupertas, humilitas, & tollerantia nobis pro exemplo & imitatione erit.* Philip. 2.

EPISTOLA AD TITVM II.

Ibidem 3. Hebr. 1.

Chriſtum ſcilicet ueniſſe & apparuiſſe nobis.

APparuit enim gratia Dei & ſaluatoris noſtri omnibus hominibus erudiẽs nos: ut abnegantes impietatẽ et mundana deſideria, ſobrie, modeſte & pie uiuamus in præſenti ſeculo, expectãtes beatã ſpem et apparitionẽ gloriæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio.

IN DIE STEPHANI.

Euangeliũ Matth. 23.

ECce ego mitto ad uos prophetas et ſapientes & ſcribas. Et ex illis occidetis et crucifigetis, & ex illis flagellabitis in ſynagogis ueſtris, & perſequimini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat ſuper uos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, uſq; ad ſanguinem Zachariæ filij

Barachiæ,

Barachiæ, quē occidiſtis inter templū & altare. Amen dico uobis, ueniēt hęc omnia ſuper generationem iſtam. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquet̃ uobis domus ueſtra deſerta: Dico enim uobis, non me uidebitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini.

EVangelium eſt generis Iudicialis. Accuſat Chriſtus incredulos, ingratos, negligentes et cōtemptos Iudæos, & defendit ſe, ut ſatisfecerit ipſis.

Exordium eſt liberum. Commodius ſumitur à tempore, & fructu natiuitatis Chriſti. Quippe, propterea Chriſtum natum eſſe in terris, ut nos renaſceremur in cœlo, cuius natiuitatis hic Stephanus exemplum eſt. Propoſitio. De ingratitudine & contemptu mundi erga Euangelium & eius precones.

Narratio. Ecce ego mitto ad uos prophetas.] Nō poteſt dominus maiora beneficia exhibere mūdo, quàm cum dat uerbum ſuum, & bonos, benedictos & fideles concionatores. Hæc amplificabis.

Et ex illis occidetis &c.] Collatio indolis, maliciæ & ingratitudinis mundi, erga tã egregia & ſumma beneficia Dei. Confirmabis hæc à diuerſiis exemplis, maximè ab hoc Stephano.

Vt ueniat ſuper uos.] A conſequentijs, Hoc ſtudium, hic labor, non benè cedet uobis, & malum merebitur præmium, pedes ueſtri in malum currũt etc. Impij etiam alterius peccati rei ſunt, quia in ſcelere conſentiunt, propterea & pœnæ participes ſunt. Sed pij in bonis mutuo conſentiunt, propterea eſt ſanctorum communio.

Amen amen dico uobis.] Confirmatio eſt. Venient hæc omnia, ſcilicet omnis ſanguis iuſtus effuſus. Aut hæc omnia quæ prædixi de deſtructione Hieruſalem, & horrore iudicij. Repete ante dicta.

Hieruſalem Hieruſalem.] Miſerabile pathos eſt, ubi uidemus diligentes noſtros conatus male ceſſiſſe, & collatos eſſe.

Quoties uolui.] Hæc dicit ſecundũ ſuam humanitatem, alioqui dei uelle, eſt eius facere: Dixit & facta ſunt. Et ſicut Dominus uoluit fecit in cœlo et in terra. Idem dicunt omnes boni Concionatores, bene cupiunt & uolunt, multitudini omnem impendunt operam & ſtudium, ulterius non poſſunt, cætera ſunt deo cõmittenda, ut inquit ille. Quando fecimus quod debuimus, leuiter quod euenit feramus.

Quemad

Quemadmodum gallina.] *Elegantiſſimum ſimi le, ad bonum dei adfectum erga nos. Expones ſimile, Gallina ſtudioſe fouet, nutrit & defenſat pullos ſuos, illi autẽ, neglecta gallina, longius progreſſi, ſeſe perditum eunt in ungues, roſtrum & fauces milui.*

Et noluiſti.] *Eſt remotio culpæ, ſcilicet quod peris, culpa non eſt mea. Videtur hic Chriſtus liberum arbitriũ adferre, ſed re ipſa non: quoniã & hæc Chriſtus loquitur ſecundũ ſuam humanitatem, ſecundum diuinitatem autem nemo poteſt ſuæ uoluntati reſiſtere. Ex creatione debemus quidẽ omnes ad deum conuertere et in deo manere, ſed ex deprauata natura & ex Adã innata malicia nolumus omnes, adeò ut quos ſeruat Chriſtus præter arbitriũ ſuũ trahit, ut inquit: Nemo uenit ad me, niſi pater meus qui miſit me, traxerit eum. Ergo nõ ſaluantur niſi quos pater traxerit et deſignauerit ad uitã æternã. Propterea oremus cũ ſponſa in Canticis: Trahe me poſt te, etiam inuitum.*

Ecce relinquetur uobis.] *Comminatio & uaticinium eſt deſolationis, & ablationis uerbi, quæ ſumma Dei uindicta eſt. Geneſ. 6. Non uſq; iudicabit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Prædicit horrendam illam deſtructionẽ Hieruſalem, & deuaſtationẽ totius gentis et terræ Iudaicæ. Non auferrunt inultum quotquot negligũt et contemnunt uerbũ & oblatam*

gratiam dei. Pro exemplo eſt tota Iudæa, Græcia, Italia, & cætera.

Non me uidebitis abhinc.] *Porrò deſinam ab officio prædicationis & miraculorum, uidebor ut ſimplex homo.* Donec dicatis: Benedictus.] *In iudicio extremo uidebitis me potentem* Deum. *Hæc eſt ultima* Chriſti *in mundo concio, cætera quæ ſequuntur ad diſcipulos locutus eſt.*

Epilogus repetit ſuperiora. *Deus exhibet mundo ſua beneficia, mittit ſuos prædicatores euangelicos, eos mundus contemnit, cõtumelijs adficit, tormentis exercet, profligat, & demum occidit, uario & crudeli mortis genere.* Eius rei eſt Stephanus *exemplũ, cuius hiſtoriam deſcribit* Luc. *6. & 7. cap.* Actuum, *quæ eſt huius* Euangelij *epiſtola interpretatoria, cuius argumentum eſt.*

Stephanus *falſo à Iudæis de* Moſe *& templo accuſatus, longa narratione, ab exordio Iudaicæ gentis repetita, defendit ſe, & eos inobedientiæ, præfractionis, & duræ ceruicis erga* Dei *uerbum arguit, illud eos in* Ieſu Chriſto *crucifixo declaraſſe.* Vnde Iudæi *conciti furore, rapiunt, & lapidibus obruunt* Stephanum. *Inde ſumitur hortatio conſtantiæ in prædicatoribus ab exemplo* Stephani.

EPISTOLA ACTVVM VI.

Quomodo Iudæi Stephanũ ſecundũ uaticinia Chriſti lapidauerunt.

Stephanus

STephanus autem plenus fide & potentia, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellabatur Libertinorum & Cyrenenſium & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur. Tunc ſubmiſerunt uiros qui dicerent ſe audiuiſſe eum dicentem uerba blaſphemiæ in Moſen & Deum. Commouerunt itaq; populum & ſeniores & ſcribas: & inuadentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & produxerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui uerba blaſphema aduerſus locum ſanctum & legem. Audiuimus enim eum dicentem: quod Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iuſtum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moſès. At intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, uiderunt faciem eius tanquàm faciem angeli.

IN DIE IOANNIS.

Euangelium Ioan. XXI.

ET cum hoc dixiſſet, dicit ei: Sequere me. Conuerſus Petrus, uidit illum diſcipulũ, quem diligebat Ieſus, ſequentẽ, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, et dixit: Domine, quis eſt, qui tradet te? Hũc ergo cũ uidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine, hic autẽ quid? Dicit ei Ieſus: Sic eum uolo manere, donec ueniam, quid ad te? tu me ſequere. Exijt ergo ſermo inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Ieſus non morit̃, ſed ſic eum uolo donec ueniam quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimoniũ perhibet de his, & ſcripſit hæc. Et ſcimus quod uerum eſt teſtimonium eius.

EVangelium eſt generis deliberatiui, de uocatione. Exordium cum ſuis locis eſt liberũ. Propoſitio, de uocatione Petri. Præcedentia cohærẽt. Vbi Chriſtus Petrũ ter interrogat de ſui amore quærens, an etiam nũc ſe plus alijs amet: taxans eius præſumptionẽ cum dixerat, et iniuſſus iactabat: Si omnes ſcãdalizati fuerint in te, ego aũt non ſcandalizabor. Paratus ſum te-

cum

cum in carcerem et mortẽ ire. Antea cum non urgebat res, ultro uoluit, nunc autẽ cum res cogit, an etiã uelit intrepidus perſtare. Hic interrogatus, contriſtatur & trepidè reſpondet: Tu ſcis quia amo te, Sibijpſi diffidit, poſtquàm ſeſe feſellit, timet ſibi ne iterum ſimile periculum impendeat, quia dulce bellum inexperto, expertus metuit. Quod ter interrogat Chriſtus ſignat rem eſſe ſeriã. quoniã hic illi ſuas uoluit cõmendare oues paſcendas, et defendẽdas, ubi requiritur diligentia, et perſeuerantia, fortitudo, et cõſtantia. Hinc cernere eſt, quàm ſeria res ſit domino, ſuas oues paſcere, quod nemo poteſt, niſi impenſe diligat Chriſtũ. Nam falſi paſtores, ſeſe diligũt, non Chriſtum, nec oues curant, ſed ſuum quærunt lucrũ, quod ſi defuerit, aut quãdo lupus uenerit, deſerunt oues et diffugiunt. Hoc intereſt, inter ueros et falſos paſtores nec certè leuis res eſt. Poteris hunc locũ amplificare, et exponere, quid paſcere? quid oues Chriſti? Petrus docet nos, ne quid nobis præſumamus præter dei uerbum, uoluntatem, & uocationem, nihil ſiquidẽ benè ſuccedit. Ea eſt indoles humana. Iniußi præſumimus, iußi trepidamus & refugimus. Ergo præter uocationẽ nihil tenta. Vocatus, aude in domino, & tamẽ cum timore domini. Amen amen dico tibi.] Signat prædicatoribus & pijs crucem ſubſecuturam, aliam alijs grauiorem. Hoc atem dixit &c.] Seſe exponit.

Sequere

Sequere me.] *Chriſtus Petrum per crucem uult ſequi & glorificari. Vocationum diſcrimina ſunt, alios uocat per crucem, alios aliter, durius aut leuius. Diſtribue per amplificationem, confirma ab exemplis.* Conuerſus Petrus.] *Periphraſis Ioannis eſt.*

Hic autem quid?] *Ea eſt humana imbecillitas, ut ut ſemper rebus arduis & durioribus, reſpiciamus aliorum fœlicitatem, eam illis inuidemus, conſideramus noſtram infœlicitatem, erumnas & laborem, et facimus ipſi nobis crucem noſtram difficiliorem, diligenter uolumus cauere, & de ipſis eſſe certiores, ne ſint nobis fœliciores.*

Si eum uolo manere.] *Subiraſcitur Chriſtus Petro, quod aliena curat, ita planè uult Chriſtus ſe recta ſequi, & facere quod iuſſerit, alienis incuratis: nam hoc moleſtiã adfert inanem, ac ſi diceret: Quod ſi uolo illũ uocare et uiuere ſine cruce, q̃d hoc tua refert?*

Tu me ſequere.] *Adminiſtra tuam uocationẽ, ne ſis de alijs ſollicitus, de his ego uidero. Ita uult planè dominus, noſtram ut curemus uocationem ſine aliorum reſpectu: nam ſi hoc ſimul in animum induxerimus, putabimus alios ſemper nobis eſſe feliciores, cum tamen non ſunt: nam ſingulæ uocationes, ſuas habent moleſtias, ut omnes qui uolũt piè uiuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Hanc opinionem planè uult Chriſtus animis noſtris eximere. Nam cui placet*

alterius

alterius ſua nimirum eſt odio ſors, ita nemo eſſet ſua ſorte contentus. Vult ergo ut quiſq; in ea uocatione, qua uocauit eum dominus, maneat. 1. Corinth. 7. Poteris hunc locum amplificare: Quid ſit ſequi Chriſtũ? Sed hoc loco ſimpliciter intelligit Chriſtus, ut Petrus ſequatur ſe cruce. Ego per crucem glorificatus ſum. Ita & tu per crucem glorificaberis.

Me] Emphaſim habet. Ne reſpicias alios, ne imiteris alios, me obſerua, poſthabitis alijs omnibus.

Exijt ſermo inter fratres, &c.] Tollit Ioanes errorem de uerbis Christi non rectè intellectis. Poteris hic obiter de uita Ioannis dicere ex hiſtorijs.

Hic eſt diſcipulus ille.] Confirmatio ſui, & Epilogus eſt totius libri. Repete ſuperiora, & exhortare de paſcendis ouibus Chriſti, & de uocatione.

EPISTOLA ECCLESIASTICI, XV.

De fructu timoris et iuſtitiæ.

QVi timet Deum faciet bona, & qui continens eſt iuſtitię, apprehendet illam, & obuiabit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à uirginitate ſuſcipiet illum. Cibabit illum pane uitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. Et firmabitur in illo; & non flectetur, & continebit

tinebit illum & non cõfundetur, & exaltabit illum apud proximos ſuos, & in medio eccleſiæ aperiet os eius, et adimplebit illũ ſpiritu ſapientiæ & intellectus: & ſtola gloriæ ueſtiet illum.

DOMINICA POST NATIVITATIS

Euangelium Lucæ 2.

ET erant pater & mater eius mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël; & in ſignum, cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, & reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Hanna propheteſſa, filia Phanuël de tribu Aſer. Hæc præceſſerat in diebus multis, et uixerat cum uiro ſuo annis ſeptem à uirginitate ſua. Et hæc uidua uſq; ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc, ipſa hora ſuperueniens, confitebatur do-

tur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabãt redemptionem in Hieruſalem. Et ut perfecerũt omnia ſecũdum legem domini, reuerſi ſunt in Galilæã, in ciuitatẽ ſuã Nazaret. Puer aũt creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia dei erat in illo.

EVangelium eſt generis Didaſcalici de cruce. Exordium eſt liberum, aut à fortuna Chriſti, eiusq; uerbi. Et eorum qui Chriſtum habent, dum uiuunt in hoc mundo, illud hoc Euangelio declarabis.

Propoſitio, Reddunt teſtimoniũ Chriſto, duo ſenes ſpiritu pleni, & ſecundũ legẽ inculpabiles. Ita fides noſtra teſtificata eſt à lege & prophetis. Rom. 3.

Mirabantur Ioſeph, & Maria, &c.] Tranſitio ſuperiorum eſt. Repete ſuperiora.

Et benedixit illis Simeon.] Quid benedicere?

Narratio. Ecce poſitus in ruinam. À ſorte & fortuna Chriſti, eiusq; uerbi. Simeon ex ſpiritu cognouit puerum hunc uerũ eſſe Meßiam, propterea repetit hoc uaticiniũ ex prophetis de Chriſto, et huic puero deputat et adſcribit, Eſa. 8. 28. Pſal. 17. &c.

Quid ruina? Quid reſurrectio? Quid cõtradicere ſit, expone. Impij offendunt in Chriſto & ruunt. Pij reſurgunt.

reſurgunt. Amplificabis. Confirma contradictionem ab exemplis, Act. 28. Ioan. 15. 1. Pet. 2. Eam contradictionem teſtantur omnes Scribæ, Phariſæi, & omnes impij, & hodie ſacerdotes & Monachi, &c.

Et tuam ipſius animam, &c.] A fortuna piorum habẽtium Chriſtum in hoc ſeculo. Illa felicitas, quod ſis mater Chriſti, ſatis magno penſabitur mœrore & cruce. Ita nihil eſt ab omni parte beatũ. Et: Cõmoditas omnis ſua fert incommoda ſecum &c. Pro conſolatione eſt omnibus pijs ſub ſumma cruce, quod utiq; habent Chriſtum, ſummum bonum & gaudium. Expone quid anima? quid gladius? quid petram ſcire. Gladiũ in ſingulari dixit, pro perpetuo cruce in hac uita. Hæc duo cohærent, habere Chriſtum, & ferre crucẽ, ſeu animã transfigi gladio. Ioan. 16. Plorabitis & flebitis, &c. In mundo preſſuram. Si libet & uacat per ocium excurre in enumerationem gladij Mariæ, quas ipſa moleſtias cum Chriſto perpeſſa ſit. Mariam ſtatuant ſibi pro exemplo omnes pij.

Vt reuelentur] Ioan. 7. Quidam dicebant, quia bonus eſt: alij autem dicebant: non quia ſeducit turbas. Idem factũ eſt noſtro tẽpore, reuelato euangelio.

Et erat Hanna prophetiſſa.] Tranſitio eſt. Hactenus de Simeonis, nunc de Hannæ teſtimonio dicemus. Eius perſonam deſcribit Lucas, ut habeamus fidem eius teſtimonio.

Erat

Erat prophetiſſa.] Vel quod futura prædixerat uel quod forte fuerat prophetæ, aut concionatoris uxor. *Filia Phanuël.*] A parentibus.

De tribu Aſer.] A natalibus.

Hæc proceſſerat in diebus multis.] A ſenio

Cum uiro ſuo à uirginitate &c.] Ab integritate, & ſtatu uitæ.

Vſq; ad annos octogintaquatuor.] Ab ætate.

Non diſcedebat de templo.] A pietate.

Ieiunijs & obſecrationibus.] A parſimonia & religione. Omnia hæc ſpectant ad probam, honeſtam integrā et piam uitam, pro teſtimonij cōfirmatione.

Præoccupatio & refutatio impiorum de ieiunijs et obſecrationibus Hānæ, per inuerſionē. Oportet primum perſonā deo placere, deinde placebunt opera.

Et hæc ipſa hora ſuperueniens.] Ab euentu, & conſilio diuino.

Confitebatur domino.] Hunc eſſe illum Meßiā & ſaluatorem, ſcilicet hunc ſolum ad ſalutem ſufficere, non ſuas obſeruationes, obſecrationes & ieiunia, quæ hinc citant iuſticiarij.

Et loquebatur de illo.] Alij pro fabula habebant.

Puer autem creſcebat &c.] Inuentus eſt ut homo ita tamen, ut præ cæteris hominibus, ſingulare aliquid & diuinum haberet. Epilogus repetit ſuperiora. Conſolatur & exhortatur.

EPISTOLA GALA. IIII.

Chriſtus factus eſt ſub lege, ut nos de lege redimeret.

DIco autem, quãto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo cum ſit dominus omniũ, ſed ſub tutoribus & procuratoribus eſt, uſq; ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. At ubi tempus cõpletum eſt, miſit eius filium ſuum natũ ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam aũt eſtis filij dei, miſit deus ſpiritũ filij ſui in corda ueſtra clamantẽ: Abba pater. Itaq; iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quod ſi filius, & hęres dei per Chriſtũ.

IN DIE CIRCVMCISIONIS

Euangelium Lucæ 2.

ET poſtquàm cõſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum eſt nomen eius Ieſus. Quod uocatum eſt ab angelo priuſquàm in utero conciperetur.

Euangelium

EVangelium eſt generis Didaſcalici. Exordiũ, unde libet: aut à die, aut à re ipſa &c. Si libet et opus eſt, adde locos Exordij.

Propoſitio à loco communi. De circumciſione.

Narratio à definitione. Quid circũciſio? quæ cauſa? qui effectus? Rom. 4. Quæ partes? Fides erga promiſsiones, et ipſum opus, Roma. 2. Non ſtatim Iudæus eſt, qui circumciſus eſt. Quare Chriſtus circũciſus ſit, cum non fuit illi opus circumciſione. Paulus Gala. 4. exponit factus ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant redimeret. Quare additur nomen in circumciſione? Per circumciſionẽ ex fide in ſpiritu accipimus nomen filiorum dei: reputamur inter filios dei: inſcribimur in librum uitæ. Iam qui inſcribitur, profitetur nomen ſuum. Quid ſit circumcidi die octauo? Per ſeptimanam in perpetuo uiuimus, in hac uita. Dies ſeptem complent ſeptimanã, & ita uoluuntur omnes anni, et tempus totius uitæ noſtræ. Die autẽ octauo, in futura uita, cum hæc uita tranſierit: tum primum uere circumcidimur, eritq; circumciſio perfecta. Quare ſecundũ genitale membrũ facta eſt circumciſio? Ea eſt indoles dei, ut ſe in ſuis operibus ridiculum præbeat rationi, & eam confundat. Signat aũt circumciſione genitalis membri uniuerſam noſtrã generationẽ ex Adam præcidendã eſſe ut malã et deprauatã, idq; ſolum in maſculis: qa Adæ imputatur præuaricatio, &

 tranſgreſsio

tranſgreßio & peccatum. Oritur *interrogatio, quare circumciſio non etiamnum durat, cum tamen alia ſigna, ut arcus fœderis, qui eſt longè antiquius, promißionis ſignũ, non ceſſat?* Ratio *eſt quod ſigna promißionibus addita durant, quàm diu promiſſiones manẽt.* Promißio *autem de ſemine* Abraham *(in quo benedicendæ eſſent omnes gentes, ad cuius promißionis confirmationem data eſt circumciſio) in* Chriſto *iam completa eſt, idcirco & ſignum eius promißionis in* Chriſto *ceſſauit.* Arcus *autem durabit uſq; ad finem mundi, quia eius promißio tam diu durabit.* Geneſ. 8. & 9. *Iam circumcißione abolita,* Chriſtus *eius loco reſtituit nobis baptiſmum, nouum ſuæ promißionis ſignum: eius ferè ſimilis eſt ratio, præterquàm quod de circumciſione erat certus dies, de baptiſmo non item.* Adducimus *infantes ad* Chriſtum *per baptiſmum quàm primum poſſumus, ex mandato* Chriſti, Matth. 18. *Sinite paruulos uenire ad me.* Vt *circũcißio præter fidem nihil ualet, ſic nec baptiſmus.* De *baptiſmo paruulorum erit alibi narrandi locus, aut poteris pauca obiter aſpergere.*

De *nomine* Ieſu. D*efinitio eſt ab* Etymologia & *officio.* Etymologia *exprimit & declarat eius officium: nam* Ieſus *ſaluatorem ſignificat, propterea quod ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Populus *ſuus eſt, tota credentium multitudo.* Incre*duli non*

duli non ſaluantur, Ioã. 6. Qui non credit iam iudicatus eſt. Epilogus repetit ſuperiora.

EPISTOLA GAL. III.

Lex ceſſauit in Chriſto.

PRius autẽ quàm ueniret fides ſub lege cuſtodiebamur, cõcluſi in eã fidem quæ reuelanda erat. Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide iuſtificemur. At ubi uenit fides, iam nõ ſumus ſub pædagogo. Omnes enim filij dei eſtis per fidem, quę eſt per Chriſtum Ieſum. Quicunq; enim per Chriſtũ Ieſum baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Non eſt Iudæus, neq; Grecus non eſt ſeruus neq; liber: non eſt maſculus, neq; fœmina. Omnes enim uos unus eſtis in Chriſto Ieſu: Si autem uos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, & ſecundum promiſsionem hæredes.

IN EPIPHANIA DOMINI

Euangelium Matthæi II.

CVm ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehẽ Iudææ, in diebus Herodis regis: ecce Magi ab Oriente uenerunt

Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorũ? uidimus enim ſtellam eius in oriente, et uenimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudææ. Sic enim ſcriptum eſt per prophetam. Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet mihi dux qui regat populum meum Iſraël. Tunc Herodes clàm uocatis Magis diligenter, didicit ab eis, tempus ſtellæ quæ apparuerat eis, & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum. Qui cum audiſſent regẽ, abierunt. Et ecce ſtella, quam uiderant in Oriente, antecedebat eos, uſq; dum ueniens, ſtaret ſupra ubi erat puer. Videntes

dentes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum inuenerũt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adorauerunt eum. Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

EVangelium eſt generis Didaſcalici, conſtat argumentis de tempore, & loco Chriſti.

Exordium eſt liberum aut à die, aut unde libet, additis exordij locis.

Propoſitio. gentiles Magi ſecundum prophetias quærunt & inueniunt natũ Chriſtum, Eſa. 65. Quæſierunt me, qui ante non interrogabant. Iudæi autẽ ex induſtria, ſecuritate & negligentia aſpernantur, adeò triſtantur nato Chriſto

Narratio. Cum natus eſſet Ieſus, &c.] Tranſitio eſt, ſeu breuis repetitio ſuperiorum à loco & tempore. Mich. 5. Geneſ. 49.

Ecce.] Mirãtis eſt, quod prophetiæ ſeſe ita urgẽt. Magi.] Perſica uoce, erãt diuinorũ interpres et cultores. Inde Magia quã Plato diuinorũ ſcientiã uocat,

qua imbuebantur Perſarum *regum filij.*Eſt *& natu-ralis philoſophiæ apex.* Vide plura in Lexico græco.

Ab Oriente.] Ex Perſica ſcilicet, quæ eſt Iudæis ab Oriente.

Venerunt.] Relatione *fidei, & uaticinij de Chriſto, quod etiã ingentes ſparſum eſt.*Geneſ.49. Ipſum *gentes expectabunt.*

Hieroſolymam.] *Quia hæc erat regia ciuitas. ergo putabant ibi regem natum eſſe.* Hæc *erat prima fidei impugnatio.*

Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum.] Regem *illum uaticinio prædictum, dominatorem terræ, certo natum eſſe ſciunt & affirmant ex argumento ſtellæ.*

Vidimus enim ſtellam eius.] De *qua* Nume. 24. Orietur *ſtella ex* Iacob. *Sed de loco incerti ſunt, poſtquàm non inuenerunt in regia ciuitate* Hieruſalem, *propterea quærunt ubi natus ſit.* Ecce *diligentiã gentium, & negligentiam* Iudæorum. *Cauſa efficiens itineris eſt ſtella.*

Venimus adorare.] Eſt *cauſa finalis.* Quid *adorare?* Eſt *phraſis,* Volumus *dominum ſuſcipere et agnoſcere,* Teutonice, *uuir uuellend ihm hulden.*

Herodes *præter neceſsitatem timet ſibi de ſuo regno auferendo.* Turbari, *eſt relatio adfectus, doloris, & metus, præſens, futurumq́; malum fugitantis.* Hieroſolyma *turbatur ad gratiam* Herodis, *quæ merito gaude-*

to gauderet. Ecce maliciam carnis.

Congregans.] Sciſcitatur & clàm diſcit à ſacerdotibus & ſcribis, locum: à Magis, tempus. Clàm uocare & ſciſcitari, eſt relatio & ſignum uerſutiæ, & uafriciei, uult rem aſtu tractare, et fallitur tamẽ. Hinc eſt, quod Chriſtus hunc Herodem uulpẽ appellat. Sacerdotes & Scribæ docent quidem Herodẽ, ſed non perdocẽt, nec Herodes plura requirit. Nec ſciſcitatur ut doceatur, ſed quomodo perdat Chriſtum. Simili ratione omnes impij ſcrutantur ſcripturas, et quod quærunt inueniunt. Sic noſtri Papiſtæ ſciunt et docent quidem, ſed non perdocent, negligenter, frigidè, & præter ſpiritum tractãt ſcripturas. Tripharij igitur ſunt ſcrutatores ſcripturæ. Alij ſcrutãtur uerbum, ad uerbi perditionem, ut Herodes. Alij ſciunt & tractant, ſed negligunt, ut ſacerdotes & Scribæ, monſtrant uiam, quam ipſi non ambulant. Alij quærunt uerbũ ad ſalutem, ut Magi.

Sic enim ſcriptum eſt.] Hoc teſtabitur iuſtam eorum damnationẽ, et iudiciũ Dei de eorũ negligentia.

Mittens illos in Bethlehem.] Iam cognito loco et tempore pueri Chriſti. Porrò uult certior eſſe de eius perſona, & fallitur tamen: quoniam non eſt prudentia, non eſt ſapientia, non eſt conciliũ contra dominũ.

Audito rege abierunt.] Hic quidem Magorum fides, nimirũ impugnata eſt. Ipſi gentes ſcilicet tantũ

iter profecti, quæſitum regem Iudæorum, in regia ciuitate Hieruſalem non inueniunt. Ipſi Iudæi quorum rex eſt, quibus uaticinio promiſſus et expectatus eſt, nihil penſi habent, negligũt, nemo animaduertit, putant ſe forte deluſos opinione & arte. Certiores tamen facti de loco Bethlehem, perſtant cœpto, & abeunt. Hæc ſunt nobis pro egregio conſtantiæ exemplo.

Ecce ſtella.] Ab inopinato. Fidelis eſt deus qui nõ ſinit ſuos tẽtari ſupra quã ferre poſſunt. Stella eos admonet cõſtãtiæ, certitudinis, et perducit ad Chriſtũ.

Quã uiderant.] Scilicet certũ & indubitatũ eſſe quod per ſtellã, de nato rege Iudæorũ cognouerant.

Antecedebat eos.] Ergo hactenus eos intermiſit. Stella, lux euangelica, antecedit, & perducit nos ad Chriſtum. Lucerna pedibus meis uerbum tuum domine, Pſalmo. 118.

Gauiſi ſunt.] Effectus eſt Euangelicæ lucis, adfert lætam & ſerenam conſcientiam. Relatio eſt eos nimiũ triſtes, perterritos et abiecto animo fuiſſe Hieroſolymæ apud Herodem, et occiſos Iudæos. Gauiſi ſunt ſe iam eſſe per ſtellã de ſuis rebus certiores. Non fallit in extremis uerbum & promiſsio Dei,

Gaudere eſt præſens bonum cõplecti. Fides uarias et magnas habet oppugnationes, cõſtans tamen perducit ad Chriſtũ. Qui perſeuerauerit uſq; in finem. hic ſaluus erit. Confirma ſcripturæ ſententijs. Pſal.

Quantas

Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas, & conuerſus uiuificaſti me &c.

Vſq; dum ueniens.] *Lux Euangelica & fidei conſtantia nos perducit ad Chriſtum.*

Intrantes inuenerunt puerum.] *Certitudo et uera conſequentia eſt uerbi & promiſsionum Dei.*

Adorauerunt.] *Stella duce certificati, non abhorruerunt humilem ſpeciem Chriſti, quin procidunt, adorant & agnoſcunt, ut dominum. Fides non iudicat ſecundum uiſum & ſpeciem. Non dubium eſt, quin uaticinia de Chriſto, latè, ſparſa ſint etiam in gentes: hunc ſcilicet fore deum & hominem. Offerunt munera, ſoluunt ſua tributa, non uacui ueniunt. Fides non eſt ocioſa & ſterilis.*

Accepto reſponſo.] *Chriſtus ad ſe inuenientes puro adfectu, non permittit ad impietatem redire. Per Chriſtũ redimus in patriã. Per Adã egreſsi. Per Chriſtũ redimus. Exemplũ curæ domini de ſuis. Epilogus conſtat enumeratione, adfectu, & exhortatione.*

EPISTOLA ESA. LX.

Prophetia de regibus uẽturis ad Chriſtũ expleta eſt.

SVrge illuminare Hieruſalem, quia uenit lumen tuum, & gloria domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos

ſuper

ſuper te autẽ orietur Dominus, & glo-
ria eius in te uidebitur. Et ambulabunt
gentes in lumine tuo, & reges in ſplen-
dore ortus tui. Leua in circuitu oculos
tuos, & uide, omẽs iſti cõgregati ſunt,
uenerũt tibi. Filŋ tui de longe uenient,
& filiæ tuæ de latere ſurgent: Tunc ui-
debis et afflues, et mirabitur et dilata-
bit cor tuũ: quando cõuerſa fuerit ad te
multitudo maris, & fortitudo genti-
um uenerit tibi. Abundantia camelo-
rũ operiet te, Dromedarŋ, Madian et
Ephã, omẽs de Sabba uenẽt et thus de-
ferẽtes, & laudẽ domino anunciantes.

DOMINICA I. POST EPIPHANIA.

Euangelium Lucæ 2.

ET cum factus eſſet annorum duo-
decim, aſcendentibus illis Hiero-
ſolymam ſecundum conſuetudinem
diei feſti, cõſummatiſq; diebus cũ redi-
rent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalẽ,
& non cognouerũt parentes eius. Exi-
ſtimantes autem illum eſſe in comitatu
uenerunt iter diei, & requirebant eum
inter

inter cognatos & notos. Et non inueni entes, regreſsi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem omnes, qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis eius. Et uidentes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illũ: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quod in his, quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? Et ipſi nõ intellexerunt uerbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & uenit Nazaret, & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia uerba hæc in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud deum & homines.

EVangelium eſt generis Demonſtratiui facti, & habet admixtũ genus iudiciale, ubi defendit ſe Chriſtus coram parentibus, Status legitimi. Et eſt generis Didaſcalici, ubi Chriſtus nos docet.

Exordium

Exordium eſt liberum cum ſuis locis, et ita tamen ut ſit breue, et commode adaptetur ad propoſitionē.

Propoſitio. Maria perdidit Chriſtum, & inuenit rurſum. Chriſtus ſe ſubduxit à parentibus, remanens Hieroſolymæ, *& ſtatuit ſe nobis pro exemplo.*

Narratio à conſuetudine et deſcriptione diei feſti. Deut. 16. *Quem ritum propterea præcepit dominus, et uni loco addixit, ut Iudæos populum ſuum, ter in anno in uniuerſum, omnes in unum locum conuocaret: ut quemadmodum eſſet in illis unus deus, ita eſſet de deo una fides, doctrina, religio & cultus, ne falſæ doctrinæ etc. ſubreperent. Quæ unitas etiam nobis Chriſtianis imitanda eſt, præterquàm quod non ſumus addicti uni certo loco. Quod iter ſolis maſculis mandatū erat, fœminis nō. Item ut quæ fortè erāt occupatæ domi, liberorum educandorum cauſa, aut oneri uteri grauidæ. Virorum officium erat, uxores ea docere. Maria autem unà aſcendit, quia fœmineū negociū eam non impediuit. Præoccupare hic oportet malas, quamuis ueteres conſuetudines, ut benè dictum eſt. Veterem conſuetudinē pro lege tenendam eſſe, ſed ſi fuerit bona, & ueritati conſentanea, ut inquit Cyprianus, & citatur in Decretis.*

Maria de puero Ieſu iam duodecim annos, nato, ſecurior, negligit, et abit domū cum Ioſeph, arbitrati in comitatu eſſe, interim perdit. Puer Ieſus de induſtria

ſtria manet Hieroſolymæ. Vbi uentum eſt ueſperi in diuerſoriũ, puer nuſquàm comparet, requiritur inter cognatos & notos, & non inueniunt. Iam ſolliciti & ſecum diſputabundi ingenti cum dolore & animi anguſtia, quærunt ad tertium uſq; diem, filium illum primogenitum et unigenitũ, ab angelo annunciatum ex ſpiritu ſancto conceptum, Meßiã et Emanuelem illum, ipſis à deo patre curandũ cõmiſſum, tot ſeculis expectatum. Patriarchis promiſſum, à prophetis uaticinio prædictum, in quo conſiſtit totius mundi ſalus, qui ſuſtinet preciũ pro omnibus hominibus redimendis: hunc ſummum theſaurum, cogitaret Maria, pater cœleſtis abs te, quaſi indigna & incurioſa transtulit. Ita dominus tentat nos in optimis ſuis donis, et ſub ducit à nobis aliquando, ut uideat, quid adfectus ad ſua dona habeamus. Hic perfodit eius animã Simeonis ille gladius. Tandẽ redit eò, ubi eum reliquerat, & reperit. Non ſinit dominus tentari ſuper quàm ferrẽ poſſumus. Incidiſſet proculdubio, ex ea ægritudine in languorẽ, niſi dominus ſubueniſſet. Inuenit Chriſtum in templo inter doctores, in loco ſacro, ac honeſto, & conſortio bono non in ganeo, &c. Quod egregiũ exemplũ eſt pueris, à puero Ieſu, ut ſe ad ſeniores pios, probos & ſapientes homines adiungant, quorũ conuerſatione reddantur meliores, et fugiant praua conſortia. Pro. 12. 3. &c. Syrach. 6.

Audientem

Audientem & interrogantem.] Bene decet pueros. Et eſt ſignum bonæ indolis, de honeſtis & pijs rebus libenter interrogare.

Stupebant omnes.] Paradoxon eſt. Chriſtus ſem per radios ſuæ diuinitatis ſparſit, ut re ipſa cognoſcerent Iudæi pluſquàm humanum aliquid in eo latere. Et ſtupent adhuc magni iſti Theologi, qui ſibi ſolis arrogant ſcripturæ ſcientiam, ubi uident in puero et homine idiota inopinatã uerbi dei cognitionem.

Fili, quare ſic feciſti nobis?] Accuſatio eſt modeſta. Eſt hoc boni filij officium, tanto mœrore adficere parentes? *Quare quærebatis me?*] Diluit & defendit ſe ab officio. Perfuncti eſtis ueſtro officio de me curaſtis & educaſtis me liberaliter. Iam porrò non ſum ueſtri iuris ſed patris, in eius negotio oportet me eſſe, habeo alium patrem uobis ſuperiorem, cui me plus quàm uobis oportet obſequi.

Occupatio. Chriſtus ſciuit hunc dolorem futurum parentibus, utiq; de induſtria facit, quos tamen ipſemet præcipit honorandos. Certè qui parentes mœrore adficit, non honorat, quod hic Chriſtus facit.

Reſponſio. Videtur hic locus pugnare cum tamen reuera non pugnat. Nam Chriſtus hic docet, quatenus honorandi ſunt parentes. Pater deus eſt, mater homo eſt. Ergo Deo magis quàm hominibus obediendum eſt. Acto. 5.

Occupatio

Occupatio. *Sed oportuit hoc prænarraſſe ſe, ſic nihil fuiſſe periculi & negotij.*

Reſponſio. *Chriſtus fecit quod ſua interfuit, fuit in negotio patris.* Maria *mater feciſſet quod ſua interfuit, ſcilicet curam egiſſet tanti pueri.* Tam *facilè & ſtatim fallit nos illa ſecura opinio de deo, eiuſq; uerbo, ut hic* Mariā *de puero* Ieſu. Item *in diuna uocatione, & negotio, parentes in filios ius non habent nec reſpiciendi ſunt, aut de eo interrogādi.* Ideò Chri*ſtus ius matris in ſe nō admittit in diuino negocio, ubi inquit* Ioannis 2. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Et *qui facit uoluntatem patris mei, hic eſt mater, frater, & ſoror.* Adeò *qui non odit patrem & matrē &c.* pro*pter me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et *cæteros locos adduces pro amplificatione.*

Non *intellexerunt.*] Scilicet *tantum exigere diuinum negocium, & hæc ex induſtria non ab impro uiſo feciße.*

Deſcendit, *& ſubditus factus eſt.*] Extra *diuinum negocium, parentibus obſequendum eſt.* Ma*gnum exemplum humilitatis & obedientiæ.* Certū *eſt* Chriſtum *non ocioſos exegiſſe dies uſq; dum prædicaret.* Ieſus *proficiebat.*] Inuentus *eſt ut homo, ita tamen ut uideretur ſemper aliquid ſupra humanum habere.*

Epilogus. Repetit *ſuperiora, ſcilicet quod* Chri-

ſtus nos docet quomodo nos præſtemus erga parentes in diuino negocio. Maria docet, ut ſumma cura conſeruemus Dei dona, ne per negligentiam & ſecuritatem amittamus. Item puer Chriſtus docet pueros & hortatur.

EPISTOLA ROMA. XII.

Vt humiliter ſentiamus, & ſubiecti ſumus mutuo quemadmodum Chriſtus Dei filius ſubditus factus eſt parentibus humanis.

OBſecro itaq; uos fratres per miſericordiam dei, ut exhibeatis corpora ueſtra, hoſtiam uiuentem, ſanctã, deo placentem, rationale obſequium ueſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus ueſtri, ut probetis quæ ſit uoluntas dei bona & bene placens & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter uos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem & unicuiq; ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habẽt: ita multi unum

corpus

corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autē alter alterius, membra. Habentes autem donationes, ſecundum gratiā quæ data eſt nobis, diuerſas. Siue prophetiam, ut cōſentiat fidei: ſiue miniſterium in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctrina, qui exhortatur, in exhortando, qui tribuit, in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

DOMINICA II. POST EPIPH.

Euangelium, Ioan. 2.

ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Chana Galileæ; & erat mater Ieſu ibi. Vocatus autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinū non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi tecum eſt mulier? Nondū uenit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunq; dixerit uobis, facite. Erant autem lapideę hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſiugulæ metretas binas uel ternas. Dicit eis

Ieſus: implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas uſq; ad ſummũ. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc & ferte architriclino: et tulerunt. Vt aũt guſtauit architriclinus aquam uinum factum, & non ſciret unde eſſet, miniſtri autem ſciebãt qui hauſerant aquam, uocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum uinũ, uſq; ad huc. Hoc fecit initiũ ſignorũ Ieſus in Chana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

EVangelium eſt generis Demonſtratiui *rei, ubi cõmendantur nuptiæ, & miraculum* Chriſti. Gene. Didaſcalici, *ub fidem & orationem in* Maria *docemur.* Exordium *cum ſuis locis liberum eſt.*

Propoſitio. *Quomodo ſe parat dominus, et quo modo nos paremus in oratione.* Idem *de nuptijs.* Chriſtus *uocatus ad nuptias, eas honeſtat, aqua in uinum uerſa.* Narratio *hiſtoriam recitat.*

A *definitione. Quid nuptiæ? Quæ cauſæ? Qui effectus ſeu officia? Ab honeſto, utili, neceſſario, iucundo*

cundo, antiquo, & cætera. Confirmatio à ſcripturæ *locis, & hac hiſtoria.*

Vinum non habent.] *Eſt breuis narratio neceſſitatis, atq; id eſt, oratio. Hæc fidei ſunt uerba quibus tantum rem ſignat iam ſcienti, et facilè poſſe eius rei remedium inuenire.*

Quid mihi & tibi muler? *Os durum ut qui deus eſt, parat ſe, ac ſi repellat noſtram orationem, ac nobis durus ſit: id fit ad fidei probationem & conſtantiam, propterea matrem uulgari nomine appellat, atq; quod fidei relatione eius mater nihilo plus eſt, quàm quiſq; pius, neq; in diuino negocio matris ius habet, quatenus obtemperandum parentibus.*

Nondum uenit hora mea.] Dona & opera Dei *non ſunt proſtituenda.* Non abnego, non recuſo, ſed *nondum uenit hora ſeu tempus, nondum eſt tempeſtiuum, necdum exigit gloria patris, necdum ſentiunt uini defectum, & nihil ſupereſſe. Sed ubi iam incaluerint, cœperintq; exhilarari, & porrò primum libuerit bibere, & nihil reliquum eſt uini, ubi parant abire, et hilaritas nuptiarum incipit ſolui, tunc uenit hora mea, tunc ſimul omnibus pateſcet hoc ſingulare dei beneficium & miraculum eſſe, ut tanto uehementius glorificent patrem, & innoteſcat Chriſtus.*

À Similibus. *Innumera ſunt exempla, in quibus producit auxilium ad extremum uſque, re omni*

plane deſperata. Quod iuſſerit facite.] Eſt orationis & fidei conſtantia.

Lapideæ hydriæ.] Deſcriptio à quantitate, & cauſa finali. Define quid metreta.

Implete hydrias aqua.] Iam parat Chriſtus petitionem explere, præter rationem & opinionem. Dominus ſua miracula per media exercet. Haurite nunc, iam uenit hora, ferte architriclino: Ergo architriclinus non ſciebat. Eſt modeſtia Chriſti, docet nos ne opera dei faciamus ad noſtram oſtentationem, ueniet ad lucem, etiā nobis nolentibus et ignorantibus.

Bonum uinum.] Opera quæ facit Dominus, ſunt ualde bona. Geneſ. 1.

Inebriati.] Hinc naſcitur præoccupatio & refutatio eorum, qui hinc ex architriclino & inebriatis, ſumunt excuſationem & cauſam ſumptuum & barbaræ potationis in nuptijs. Licet exhilarari et inebriari in nuptijs, potare & commeſſari non item. Quid aqua? Quid uinum?

Hoc fecit initium ſignorum.] Epilogus eſt. Peroratio, Maria aſſequatur ſua uota, Aqua in uinū conuertitur. Dominus quamuis nobis durus apparet, nō tamē repellit nos in oratione. Ipſe ſcit horā exaudidiendi. Item in ſingulis nuptijs ſeu matrimonio, quo uocatur Chriſtus, primum iubet aquam in hydrias fundere, & quidem ad ſummum uſq;: poſtea in optimum ui-

mum & exhilarans uinum conuertit.

Adde exhortationem & conſolationem.

EPISTOLA ROMA. XII.

Vt noſtris donis ſeruiamus proximo, quemadmodũ hic Chriſtus.

HAbentes autem donationes, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, diuerſas. Siue prophetiam, ut conſentiat fidei: ſiue miniſterium, in miniſtrando: ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur, in exhortando, qui tribuit, in ſimplicitate, qui præeſt, in ſollicitudine, qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum adhærẽtes bono. Charitate fraternitatis iuuicẽ diligentes, honore inuicẽ præuenientes. Sollicitudine nõ pigri, ſpiritu feruẽtes, tẽpori ſeruiẽtes, ſpe gaudẽtes, in tribulatione patiẽtes, orationi inſtãtes. Neceſsitatibus ſanctorum communicantes. Hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus uos. Benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Idem

inuicem ſentientes. Non alta ſapientes ſed humilibus conſentientes.

DOMINICA III. POST EPIPH.

Euangelium, Matth. 8.

CVm deſcendiſſet Ieſus de monte ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et leproſus ueniens adorabat eum, dicẽs: Domine, ſi uis, potes me mundare? Et extendens manũ Ieſus tetigit eum, dicens: Volo. Mũdus eſto. Et confeſtim eſt mundata lepra eius. Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris, ſed uade, oſtende te ſacerdotibus, & offer munus tuum, quod præcepit Moſes in teſtimonium illis. Cum autẽ introiſſet Capernaum, acceſsit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego ueniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait illi: Domine, nõ ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantũ dic uerbũ, & ſanabit puer meus. Nam et ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus: habens

ſub me

ſub me milites, & dico huic: uade, & ua dit: & alteri ueni, et uenit: & ſeruo meo fac hoc, & facit. Audiens aũt hoc Ieſus miratus eſt, & ſequẽtibus ſe dixit: Amẽ dico uobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. Dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: filij aũt regni eijcientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et ſtridor dentiũ. Et dixit Ieſus Cẽturioni: Vade, et ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.

EVANGELIVM *eſt generis* Didaſcalici, *de fide & charitate.*

Exordium eſt liberum cum ſuis locis, commode tamen ſumitur à præcedentibus.

Chriſtus poſt longam illam concionem in monte habitam, reipſa declarat ſe eſſe uerè Meßiam, deum & dominum omnium morborum, adeò & mortis et Satanæ quoq;. Secundum illud, Eſaiæ 53. Verè languores noſtros ipſe tulit.

Propoſitio. Leproſus & Centurio fidem, Chriſtus charitatem docet.

Narratio à definitione, quid fides? quæ eius cauſæ? qui

ſæ? qui effectus? ſeu officia? quotuplex? Item quid charitas? quæ cauſæ, qui effectus ſeu officia.

Confirmationis loco præter cætera loca eſt hoc euangeliũ, ab exemplis leproſi, et centurionis. Quid leproſus? Venit, adorat. Sunt opera fidei.

Domine ſi uis.] Singulæ uoces ſunt relationes, et breuis oratio, qua memorem monet, & ſignat tantũ ſuam neceßitatem.

Extendens Ieſus manum.] Opera ſunt charitatis, & certitudo exauditionis dei. Tangere leproſum lex prohibet, charitas ſuperat legem.

Et confeſtim mundata eſt lepra.] Vis & effectus fidei & uerbi Dei eſt.

Vide ne cui dixeris.] Eſt modeſtia Chriſti, quæ docet nos in Dei operibus, noſtram gloriam non quærere.

Oſtende te ſacerdotibus.] In argumentum integræ ſanitatis. Sacerdotum officium erat, Lepram internoſcere, Leuit. 14. Chriſtus & ſuum Euangelium nullius ius abrogat.

Trnaſitio. Hactenus de leproſo, nunc de Centurione dicemus. Centurio ex bona fama de Chriſto excitatus, & infirmi neceßitate compulſus, accedit & rogat, Sunt opera fidei.

Domine, puer meus.] Chriſtus ſcit noſtram infirmitatem, tamen uult, ut eam palàm ſibi exponamus.

Ego ueniam

Ego ueniam, &c.] *Propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum, & c. charitatis opus eſt, non differre auxilium proximo.*

Domine non ſum dignus.] *Eſt extenuatio ſui.* Et *poſtquàm non licet* Iudæis *ingredi domos gentilium, non eſt neceſſe, ut agas contra tuas leges.*

Tantum dic uerbum.] *Plenæ fidei uerba ſunt, à facile & conſtanti fide.*

Nam & ego homo ſum, &c.] *Confirmatio eſt à minori,* Ergo *infirmitates tibi obtemperant.* Hinc *Deum eſſe agnoſcit.*

Non inueni tantam fidem.] *À minore, taxat* Iudæorum *incredulitatem.*

Dico enim uobis.] *Hic ſignat* Euangelium *à* Iudæis *tanquàm ingratis, ad gentes trasferendum eſſe.*

Et ſanatus eſt puer.] *Conſequentia fidei & orationis.* Epilogus *conſtat* Enumeratione, *adfectu & exhortatione.*

EPISTOLA ROMAN. XII.

Vt nos faciles, affabiles & obſecundos præbeamus omnibus iuxta Chriſti exemplum.

NOlite eſſe prudētes apud uoſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona, non tantum coram deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

hominibus. Si fieri poteſt quod ex uobis eſt cum omnibus hominibus pacē habentes: Non uoſmetipſos ulciſcētes chariſsimi, ſed date locū iræ. Scriptum eſt enim: Mihi uindictā & ego retribuam dicit Dn̄s. Sed & ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli uinci à malo: ſed uinci in bono, malum.

DOMINICA IIII. POST EPIphania *Euangeliū, Mat. 8.*

ASCendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eū diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut nauicula operietur fluctibus, Ipſe uerò dormiebat. Et acceſſerūt eū diſcipuli eius & ſuſcitauerūt eum: dicētes: Domine ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicę fidei? Tunc ſurgens imperauit uentis & mari, et facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia uenti & mare obediunt ei?

EVangelium eſt generis Didaſcalici.

Exordium eſt liberum, aut à ſuperioribus, aut à re ipſa &c. Eius loci ſunt: Benuolentia, Attentio & docilitas.

Propoſitio à loco communi tentatione, aut à ſor tura uerbi dei, & piorum in hoc mundo.

Narratio à definitione. Quid tentatio? Quæ cau ſæ? Qui effectus? Quotuplex. Confirmationis loco eſt hoc euangelium. & pleriq; multi loci ſcripturæ.

Aſcendente Ieſu in nauiculam.] Chriſtus præit, nos ſequimur. Dat nobis exemplum ut ſequamur ueſtigia eius. Cœpit facere & docere, &c.

Sequuti ſunt diſcipuli.] Chriſtus diſcipulos ſuos à doctrina ducit ad experientiam et exercitationem. Non ſequuntur niſi diſcipuli, cæteri retro manent.

Ecce] Motus ab euentu & fortuitu caſu. Noſtra relatione, non Dei, cuius conſilio omnia fiunt. À circumſtantijs. Motus magnus.] Mare nauicula, operi ri fluctibus, Super omnia, Chriſtum dormire. Quod dormit Chriſtus, ſignat ſe uerum hominem à prædicatione laſſum & defatigatum.

Acceſſerunt diſcipuli, & ſuſcitauerunt.] Arguunt ſuæ fidei imbecillitatē. Namq; quamuis humanitate dormit, utiq; diuinitate uigilat.

Domine ſalua perimus.] Singulæ ſunt relationes. Quid ſaluare? Quid perire? Nulla ſpes ſalutis

reliqua

reliqua eſt niſi in te. Inde *ſeruator dictus.*

Quid timidi eſtis.] *Increpatio. Quid timere? Quid modica fides? Arguit non reijcit paruã ipſorũ fidem, noſtra pro conſolatione. Hinc naſcitur præoccupatio refutatoria, de nauicula Petri aduerſus Papiſtas.*

Tunc imperauit uentis & mari.] *Signat ſuam diuinam potentiam & exaudiendi promptitudinem, cum res uocat in extremis neceßitatibus.*

Homines *mirati ſunt.*] *Mirabilis deus in omnibus operibus ſuis,* Pſal. 138. *Vſus euangelij eſt, Chriſtus uerbum euangelij, diſcipuli pios, nauicula carnis imbecillitatem. Mare mundum, uentus Satanam, ſignat. Priuſquàm Chriſtus per nauiculam uenit in mare, omnia ſunt tranquilla. Quàm primum autem uerbum uenit in mundum concitat tumultus, ſeditiones, & turbas. Diſcipulos oportet ſequi præceptorẽ. Non eſt diſcipulus maior &c.* Ioan. 15. *Omnes qui uolunt pie uiuere &c. Præpara animam ad tentationem,* Eccle. 2. Ioan. 16. *Tobiæ* 12. Iud. 3. Roma. 5.

Confirmatio ab utili, neceſſario, iucũdo. Tẽtaturus nos dominus, abducit nos ab omni humano præſidio. Ibi *fit motus magnus, adoritur nos Satan, mũdus, & propria caro, præſentemq; nobis intentat omnia mortem.* Abyſſusq; *abyſſum inuocat, adeò ut noſtræ rationis & totius corporis uires et conatus reſiſtere non ſufficiunt, niſi ſola in Chriſtũ fiducia, quantũuis modica*

modica. Ad hæc omnia Chriſtus dormit, fingit ſe abeſſe ſtare, poſt parietem, adeò dereliquiſſe & odiſſe nos. Sic tentationibus obrutos ipſa neceßitas & fides cogit nos clamare, et per ſuas ipſius promißiones excitare Chriſtũ. Sententiæ ſparſæ ſunt paßim in Pſalm. Exurge quare obdormis domine, exurge & ne repellas in finem, ut quid receſſiſti longè, Pſal. 90. Cum ipſo ſum in tribulatione.

Tunc ſurgens.] Nouit deus ſuos de tentatione eripere. Fidelis eſt deus, qui non ſinit ſuos, &c. Clamauit ad me, & ego eripiam eum, Pſalmo 90. Inuoca me in die tribulationis. Certitudo liberationis, Eſa. 46. 49. Ab exemplis. Filij Iſraël, Iob. Tobias, Dauid, tres pueri, Daniel, Iudith, Heſter, Lazarus, Filius uiduæ, Chriſtus ipſe, &c.

A minore. Gentes non permittit inexauditos fi cit ſemper. ut Protheſis & Epithaſis habeat ſuam cataſtrophen. Et plaudite. Epilogus cõſtat enumeratione, adfectu, exhortatione. In tẽtatione facto opus erit, ut conſtanti fide ad Deum clamemus, qui omnes tentationes Satanæ, mundi & carnis, in manu pro inſtrumento habet, & ſic uictores euadimus. Quod ſi autẽ nobis freti cum diabolo, carne & mundo, in certamen imus, certißimè perimus.

EPISTOLA COLOS. III.

De patientia & cæteris donis ſpiritus.

Induite

INduite uos ergo ſicut electi Dei ſancti & dilecti, uiſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatē, manſuetudinē, patientiam, ſupportantes inuicē & donantes uobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet quærelam, ſicut & Chriſtus donauit uobis, ita & uos. Super omnia aūt hæc, charitatem habete, quod eſt uinculum perfectionis. Et pax Chriſti regat corda ueſtra, in quam & uocati eſtis in uno corpore. Et grati eſtote. Verbum Chriſti habitet inter uos abūdanter, in omni ſapiētia docentes & commonentes uoſmetipſos pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, cū gratia canētes in cordibus ueſtris domino. Omnia quæ facitis aut uerbo aut facto, oīa in nomine domini Ieſu facite, gratias agentes deo & patri per ipſum.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE
Euangelium Matth. 20.

SImile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo diluculo conducere operarios in uineā ſuā conuentio-

conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in uineam ſuam. Et egreſſus circa horã tertiam, uidit alios ſtantes in foro ocioſos et dixit illis: Ite & uos in uineã meam, & quod iuſtum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum exijt circa ſextam & nonam horam, et fecit ſimiliter. Circa undecimam uerò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dixit illis: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Dicunt ei: quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam. Cum ſero autem factum eſſet, dixit dominus uineę procuratori ſuo. Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſsimis uſq; ad primos. Cũ ueniſſent ergo, qui circa undecimam horam uenerant, acceperũt ſinguli denarium. Venientes autẽ & primi, arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi. Acceperunt autem & ipſi ſinguli denariũ. Et accipiẽtes murmurabãt aduerſus patrifamiliâs, dicentes: Hi nouiſsimi unam horam fecerũt,

& pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum. At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice, nõ facio tibi iniuriam. Nónne ex denario conueniſti mecũ? Tolle quod tuum eſt & uade. Volo antem & huic nouiſsimo dare ſicut & tibi: An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? An oculus tuus nequam eſt, quod ego bonus ſum? Sic erunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

E*Vangelium eſt generis* Didaſcalici.

Exordium cum ſuis locis eſt liberum.

Propoſitio de Iudæis primum, & gentibus poſtremum miſsis in uineam dei, et gentes præoccupaſſe Iudæos. Item de bonis operibus & mercede.

Narratio eſt à ſimili, ad ſuperiora præcedentis capitis. Quid regnũ cœlorũ? Quid paterfamiliâs? Quid uinea? Quid operarij? Ratiocinatione regni dei, ſeu prædicationis uerbi. Iudæi primum conducti et miſsi ſunt in uineam. Si ambulaueritis in uijs meis, & feceritis quæ præcepi uobis, ero uobis deus & uos mihi populus. Daboq; uobis benedictiones. Deut. 28. Hi ſuſtinuerunt pondus diei & æſtum legis. Gentes ultimi uenerunt

uenerunt nulla pacta mercede, pondere & æſtu legis ablato. Stantes tota die ocioſi, quod nemo eos conduxerat. Ocioſa ſunt opera extra uocationem & fidem Nemo laborat in uinea niſi conductus. Nemo uenit ad me, niſi pater meus qui miſit me, traxerit eum. Laborare in uinea, eſt in eccleſia, in uerbo & uocatione ſua laborare. Nō quod ſibi uiſum eſt facere, Deut. 12. Porrò in uinea ſunt diuerſa opera. Alius plantat, alius rigat, alius putat, alius alligat. Sic diuerſæ ſunt uocationes, Rom. 12. 1. Cor. 12.

Redde illis mercedem.] Reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Ita tamen, ut nemo habeat unde glorietur coram deo, quando fecimus quod debuimus, ſerui inutiles ſumus.

Incipiens à nouiſsimis.] Dominus præpoſterum ſeruat ordinem, ut excludatur omnis opinio meritorum. Iudæi laborauerunt in uerbo legis, receperunt conductū denarium, benedictiones legales, Deut. 28. Gentibus aūt laborātibus in uerbo gratiæ datur merces æquè ac Iudæis, nō ex merito operis, ſed ex gratia

Murmurabant.] Indoles carnis, rationis, & oculi nequam.

Nouiſsimos pares feciſti.] Ab indecoro et præter ius.

Amice non facio tibi iniuriā.] Inuerſio & refutatio eſt. A iure, Nónne ex denario conueniſti mecum? hunc tolle & uade.

g 2 Volo

Volo huic nouiſsimo.] *À libertate et liberalitate domini. An oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum?*]*Taxatio inuidentiæ, ea eſt oculus nequam, & humanus animus.*

À ſimili, domini & ſerui ſeu mercenarij.

Ab exemplo, Iudæorum & gentium, Dauidis et fratrum, Petri & latronis, Iudæ & Pauli, Simonis et Mariæ Magdalenæ, Papiſtarum & noſtri uulgi hoc tempore, Vaſti & Heſter, Publicani & meretrices antecedent uos in regnum Dei. Phariſæus poſtponitur publicano, Lucæ 15.

Epilogus. Sic erunt nouiſsimi primi, &c. Ita fit in regno cœlorum, ut qui primum & multum laborarunt, nihilo ſunt ſanctiores parum laborantibus. Imò hi plerunq; præoccupant. Alios per multas tribulationes, alios per nullas aut paucas, ſaluat Dominus. Qui primum ceperunt Euangelium, iam longè cedunt nouis.

Hæc ſententia, hic locus, nos admonet timoris domini: ut qui ſtat, uideat ne cadat, qui cœpit, ut perſeueret. Aut ne alios præ ſe contemnat: quoniam dominus infirma mundi eligit, ut fortia cōfundat, 1 Cor. 1. Naſcitur hinc præoccupatio refutatoria, à iuſticiariorum meritis, coronis & ſedibus in cœlo ex operibus. Non eſt Maria aut Petrus præſtantior latrone.

Ex perſonæ et meritorum reſpectu, non eſt alius

alijs

alijs præſtantior, ſed donorum relatione, Danielis 12 Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiã erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 1. Corinth. 15. Alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum: & ſtella à ſtella differt in claritate. Clauſula. Multi ſunt uocati per uerbum, pauci uerò electi, qui uocationem ſuſcipiunt eiq; reſpondent, & ſe ad eam parant. Peroratio cõſtat enumeratione et adfectu.

EPISTOLA I. CORINTH. IX.

Omnes currunt, ſed unus accipit brauium, Vt in euangelio: Multi ſunt uocati, pauci uerò electi.

NEſcitis quod qui in ſtadio currũt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit præmium. Sic currite ut compræhendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos aũt ut incorruptibilem. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem uerberans: Sed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.

ciar. Nolo enim uos ignorare fratres, quod patres noſtri om̃es ſub nube fuerunt, & om̃es mare tranſierũt, & om̃es in Moſen baptizati ſunt in nube & in mari. Et om̃es eandẽ eſcam ſpiritualem manducauerunt, et omnes eundem potũ ſpiritualem biberunt. Bibebant autẽ de ſpirituali, conſequente eos petra: Petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorũ beneplacitum eſt deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem figuræ noſtri fuerunt, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierũt. Neq; idolatræ efficiamini ſicut quidem ex ipſis, quemadmodũ ſcriptum eſt: Sedit populus manducare, & bibere & ſurrexerunt ludere. Neq; fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderũt una die uiginti tria milia. Neq; tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpẽtibus perierunt. Neq; murmuraueriſicut quidam eorum murmurauerunt & perierunt ab extinctore.

IN DIE PVRIFICATIONIS *Mariæ Euangelium, Lucæ 2.*

POſtquàm impleti ſunt dies purgationis eorum ſecundũ legẽ Moſi, tulerunt illũ in Hieruſalem, ut ſiſterẽt eũ domino, ſicut ſcriptũ eſt in lege domini: Omne maſculinum adaperiens uuluam, ſanctũ domino uocabitur. Et ut darent hoſtiã, ſecundũ quod dictum eſt in lege Dñi, par turturum, aut duos pullos columbarũ. Et ecce homo erat in Hieruſalẽ, cui nomẽ Simeon, et homo iſte iuſtus et timoratus, expectãs cõſolationem Iſraël, et ſpiritus ſanctus erat in eo. Et reſpõſum acceperat Simeõ à ſpiritu ſancto, nõ uiſurum ſe mortem niſi prius uideret Chriſtum Domini. Et uenit ſpiritu in templum. Et cum inducerẽt puerum Ieſum parẽtes eius, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, ipſe accepit eum in ulnas ſuas, et benedixit deum, et dixit:

Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum uerbum tuum in pace.

Quia uiderunt oculi mei, ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciẽ omniũ populorũ. Lumẽ ad reuelationẽ gentiũ, et gloriam plebis tuæ Iſraël.

Exordium eſt liberum, cum ſuis locis.

Propoſitio de purgatione et modeſtia Mariæ & charitate Chriſti, & de Simeone.

Narratio à definitione. Quid purgatio? à Relatione. Quæ cauſæ? Quæ officia? A modeſtia Mariæ, quæ non erat obnoxia, nec eguit purificatione exempta per ſpiritum ſanctum, exlex fuit de immũdicia et purificatione mulierum; quia uirgo fuit. Deceſſit tamen de ſuo iure, & pacis & tranquillitatis cauſa.

Secundum legem Moſi, Leuit. 12. Ceremoniæ legis ad nos non pertinent. Legitimum ſempiternũ erit in cunctis generationibus ueſtris. Nos gentes ſumus: Ergo liberi & exleges. Seruamus tamen has leges charitatis cauſa.

Vt ſiſterent.] A cauſa finali.

Quia omne maſculinum.] Aetiologia, Exodi 34. Nume. 8. Chriſtus primogenitus eſt, ergo ſanctus domino. Nos per ipſum primogeniti & ſancti, abundantia charitatis Chriſti. Quicquid non ſanctificatur domino, percutitur & perit cum primogenitis Aegypti. Ab euentu.

Ecce Simeon.] Eſt deſcriptio perſonæ à relationibus

nibus. *Expectans conſolationem.*] *Arguunt ardentem adfectum circa Chriſti aduentum. Venit ſuggerente, agitante & admonente ſpiritu.*

Benedixit deum.] *Se uidiſſe ſua uota. Iam habet in ulnis, quod hactenus expectauit. Certitudo orationis, ſpei, & promiſsionis Dei.*

Nunc dimittis.] *Sunt pleni ſpiritus uerba. Petij ne morerer priuſquàm uiderem ſalutare tuum. Iam uideo, geſto brachijs iam conſpicuum eſt omnibus, reſpōdiſti tuis promiſsis: ergo iam mori cupio in pace.*

Lumen ad reuelationem.] *Cauſa finalis eſt, Saluare & lumen, Relationes ſunt.*

In pace.] *Videntes Chriſtum moriuntur in pace. Fructus Chriſti & Euangelij.*

Epilogus. Repetit ſuperiora, modeſtiam Mariæ charitatem Chriſti. Exemplum Simeonis, ut oremus, ne moriamur niſi prius uiſo Chriſto domini.

EPISTOLA MALACHIAE III.

Aduentus Chriſti prænunciatur, & tranſgreſſores redarguuntur.

ECce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Et ſtatim ueniet ad templū ſuū dominator, quem uos quæritis, & angelus teſtamenti quem uos uultis: Ecce uenit dicit Dominus excercituum. Et

g 5 quis

quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis ſtabit ad uidendum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflatus, & quaſi herba fullonũ. Et ſedebit cõflatus, & emundans argentũ, et purgabit filios Leui. Et colabit eos quaſi aurũ & quaſi argentum, & erunt domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Et placebit domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui.

DOMINICA SEXAGESIMAE

Euangelium, Lucæ 8.

CVm turba plurima cõueniret, & de ciuitatibus properarent ad eũ, dixit per ſimilitudinem. Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus uiam, & conculcatum eſt, & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſuper petrã & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas & ſimul exortæ ſpinæ, ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum cẽtuplum. Hęc dicens

dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt, noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem in parabolis: ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola: Semen eſt uerbum dei, Qui autem ſecus uiam, hi ſunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Qui autem ſupra petram, hi ſunt, qui cum audierint, cũ gaudio ſuſcipiunt uerbum: Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter ſpinas cecidit hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & diuitijs, & uoluptatibus uitæ euntes ſuffocantur, & non referũt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui corde bono, & optimo audientes uerbum, retinent, & fructum afferunt in patientia.

Euangelium

Evangelium eſt generis Didaſcalici, de ſemine. Exordiũ cũ ſuis locis eſt in arbitrio cõcionatoris.

Propoſitio. De quadrifarijs auditoribus uerbi dei, quæ parabola nos docet timorem dei, conſtantã, & patientiam. Nam hic de fautoribus & auditoribus uerbi, non de impijs dicitur.

Narratio. Chriſtus ipſe parabolam exponit, propterea facilior erit expoſitio & intellectus.

Vbicunq; prædicatur uerbum dei, ita res fit.

PRIMI, Secus uiam.] Hi quidem fauent euangelio. Abeunt quidem de more in cõciones ſacras, ſed nihil eſt reliquum. Diabolus retorquet uerbum ex animis, & ſuggerit alias uanas cogitationes. Statim à concione ad tabernas pellicit, &c. Illud eſt ſummum ſtudium Satanæ, & cauſa finalis, ne credentes ſaluemur: nec tamẽ ea res ipſi bene ſuccedit, quin quò plures ſeduxerit hoc plus habebit cruciatus et horroris.

SECVNDI. Qui ſupra petram.] Suſcipiunt quidem cum gaudio uerbum, & ſingulariter adficiuntur, ſuſcipiunt ſecundum libertatem carnis, aut quod per ſe iucundum eſt Euangelium, & euangelij uſus. Cæterum genuinam eius naturam non ſunt edocti, ſcilicet euangelium ſemper crucem comitem habere, ideò nõ agũt radices. Vbi Sol aũt urens tentationis, perſecutionis & crucis exortus fuerit: ubi Satan, mundus & caro repugnant: ubi ex amicis redduntur inimici

tur inimici: ubi relinquenda erit dulcis patria, parentes, uxor, liberi, opes, ædes, agri &c. Vbi profligaris ex ciuitate hac, in aliam, mendicus uiuis, ægrũ trahis corpus, tandem conijceris in carcerem, mulctaris tadeò de capite et corio tuo agitur: ub triſtis occurſat mortis imago, ubi amabilis uita deſerenda eſt, per horrenda & uaria tormentorum genera, atque ſolum hoc euangelij cauſa, alijs interim ocioſis & ſecuris. Hic perſiſtere, hoc opus, hic labor eſt. *Non eſt illud humanarũ uiriũ:* Hoc perferre *humanũ cor nõ poteſt, retro cadit, non uenit ad fructum, niſi deus adſit.* Hi *cadunt à ſiniſtris. Sic cecidit Saul, Iudas &* Petrus, *qui poſtea pœnituit.* Hi *ad tempus credunt, et in tempore tentationis, & diuerſæ perſuaſionis, recedunt ut* Galatæ, *quibus ſcripſit* Paulus.

TERTII. *Qui inter ſpinas.*] Atq; *hi quidem amant & libenter audiunt uerbum, ſed eorum mens ſollicitudinibus, diuitijs & uoluptatibus uitæ occupantur, ne poßint animum ad meditandũ, uitam, mores q; ad dei uerbum inſtituere.* Ita *præſens uoluptas, & molles diuitiæ eorum animos ſtimulant: propterea Chriſtus eas appellat ſpinas, aliâs irritamenta malorum, auri ſacram famem.* Paulus *laqueum diaboli* 1. *Timo.* 6. Nimis *pungit & urit, lautos dies, diuitias, uoluptates, amicitias & c. commutare dura & horrida cruce. Sæpe uincuntur blandimentis, qui auſteritate ſupe-*

ritate ſupe-

ritate ſuperari non poſſunt: Hi cadunt à dextris. Sic ceciderunt, qui propter uillam, iuga boûm, & uxorem, nolebant uenire ad nuptias, Lucæ 14. Sic Demas reliquit Paulum, diligens hoc ſeculum 2. Timo. 4. Sic ceciderunt filij Iſraël, qui in deſerto rurſum ad ſectabant ollas carnium.

QVARTI. Qui in terram bonam.] Quarta tantum pars uerbi, & auditorum eius, radices agunt & perſiſtunt ſecundum illud, Eſaiæ 45. Verbum meum quòd egredietur de ore meo, non redibit ad me uacuum. Exiguus numerus & puſillus grex Chriſtianorum eſt. Dura & aſpera uia eſt & anguſta porta, quæ ducit ad uitam æternam, & pauci per eam ambulant. Reliquiæ tantum ſaluæ erunt.

Retinent.] Ferè eſt militaris uox, de extremis neceßitatibus ſupra dictis.

Fructum adferunt in patientia.] Quid patientia? Patientia uobis opus eſt. In patientia ueſtra poßidebitis animas ueſtras per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Patientiæ circumſtantias aptißime licet conſiderare in agro & in grano: grando, nix, glaciet, tempeſtas, ſol urens, fulgur, tonitru, raſtrum, aratrum, etc. huc ſpectant. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.

Cauſa efficiens patientiæ, eſt opus dei.

Fructum adferent.] Alij centeſimum, alij ſexageſimum

geſimum, alij triceſimum, ſecundum dona gratiarū. 1. Cor. 12. Huius rei exempla ſunt omnes prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Chriſtus ipſe, Paulus ut de ſe inquit in huius diei Epi. 2. Cor. 11. Omnes pij, aut in publico aut priuato uitæ genere huc pertinent.

Vobis datum eſt noſſe myſteria, alijs tantum in parabolis.] Ergo ſolum diſcipulis Chriſti datur cognitio myſteriorum uerbi dei. Alijs autem parabola manet parabola. Cauſa parabolarum eſt. Omnia myſteria dei uidentur rationi obſcura & parabolicæ dicta inquirentibus.

Domine ediſſere nobis parabolā.] Explicatur, negligentibus non explicatur. Epilogus ſuperiora repetit. exhortatur, ad timorem & conſtantiam.

EPISTOLA II. COR. XI.

Fructum iuſtitiæ afferimus in patientia: Si compatimur, ergo & conregnabimus.

LIbenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis uos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſiquis extollitur ſi quis in faciē uos cædit. Cōtumelioſe dico, quaſi et nos infirmi ſimus. In quo quis audet (per inſipientiam dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego. Iſraëlitæ ſunt & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego

& ego. Miniſtri Chriſti ſunt (ſtulte di-
co) ego plus ſum, In laboribus pluri-
mis, in plagis ſupra modum, in carceri-
bus abundantius, in mortibus frequē-
ter. A Iudæis quinquies quadragenas
plagas una minus accepi. Ter uirgis cæ
ſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufra
gium feci, nocte et die in profundo ma
ris fui, in itineribus ſæpe, periculis flu-
minum, periculis latronum, periculis
ex gētibus, periculis in ciuitate, pericu-
lis in ſolicitudine, periculis in mari, pe-
culis in falſis fratribus, in labore & erū-
na, in uigilijs multis, in fame & ſiti, in
ieiunijs multis, in frigore & nuditate.
Præter illa quæ extrinſecus acciderūt,
accedit quod quotidie obruor, accedit,
et cura pro omnibus eccleſijs. Quis in-
firmatur, & ego non infirmor? Quis
ſcandalizatur & ego non uror? Si glo-
riari oportet de ijs quæ infirmitatis
meæ ſunt, gloriabor. Deus et pater do
mini noſtri Ieſu Chriſti ſcit qui eſt be-
nedictus in ſecula, quod non mentior.
Damaſci

Damaſci præpoſitus gentis Aretæ regis nomine, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorũ, ut me præhenderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE

Euangelium, Lucæ XVIII.

ASſumpſit autem Ieſus duodecim & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymã, & cõſummabuntur omnia: quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur & conſpuetur. Et poſtquàm flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt: Erat autem uerbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Factum eſt autem, cum appropinquaret Iericho, cœcus quidã ſedebat ſecus uiã mendicans. Et cũ audiret turbam prætereuntẽ, interrogabat, quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit dicẽs: Ieſu

fili Dauid miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eũ, ut taceret. Ipſe uerò multo magis clamabat: fili Dauid miſerere mei. Stans aũt Ieſus, iuſsit illũ adduci ad ſe. Et cum appropinquaſſet, interrogauit illũ, dicens: Quid tibi uis ut faciam? At ille dixit: Domine, ut uideam. Et Ieſus dixit ei, reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et cõfeſtim uidit, & ſequebatur illum, glorificans deum, et omnis plebs ut uidet dedit laudem deo.

Exordium cum ſuis locis eſt liberum.

Propoſitio, de paßione Chriſti, & cœci fide & oratione, & charitate Chriſti.

Narratio eſt textus expoſitio.

Prima pars euangelij de paßione Chriſti, cõſtat hoc ſyllogiſmo. Vaticinio prædictũ eſt per prophetas de filio hominis ſeu Meßia, ut tradatur gentibus, illudatur, conſpuatur, flagelletur & occidatur, & die tertia reſurgat. Ego ſum ille filius hominis Meßias, ergo in me perficientur omnia quæ prædicta ſunt per prophetas. Propterea

Aſcendimus Ieroſolymam] A loco. Chriſtus patitur à ſanctißimis, ut uidetur, & religioſißimis. Scriptura in ſolum reſpicit Chriſtum, Chriſtus contra

contra reſpicit & exponit ſcripturas, quem ſi exi=mis literis ſacris, nihil eſt porrò reliquum. Fides no=ſtra in Chriſto, hoc eſt, quod ſcimus & credimus per hunc, omnia hæc ad noſtram ſalutem eſſe effecta.

Ipſi horum nihil intellexerunt.] Caro non per=cipit ea quæ ſunt dei, Carnis imbecillitas.

Cœcus exprimit noſtram cœcitatem, quæ ueriſ=ſima cauſa efficiens eſt orationis ex fide. Poteris ſin=gula amplificare à circunſtantijs. Cœcus cõcepit bo nam famam de familiaritate et beneficentia Chriſti, propterea clamat: Fides ex auditu, Rom. 10.

Ieſu fili Dauid.] Verè Meſsia, Eſt uerbũ ueræ fidei. Increpabant ut taceret.] Falſæ illæ opinio=nes & diffidentia prohibent orare. Conſtans oratio aſſequitur ſua uota.

Quid tibi uis faciam?] Promptitudo & certi=tudo exauditionis. Vt uideam.] Cauſa finalis eſt.

Reſpice.] Vis uerbi eſt. Fides tua.] Cauſa eſt efficiens. Sequebatur eum & magnificabat.] Officium illuminatorum eſt.

Plebs dedit laudem deo.] Fructus mirabilium dei. Epilogus cõſtat enumeratione et exhortatione.

EPIST. I. COR. XIII. DE CHARI=tate. Quemadmodũ Chriſtus charitatẽ exercuit erga cœcum, ſic ipſum imitari debemus no=ſtris donis erga proximum.

SI linguis hominum loquar et angelorũ, charitatem autem nõ habeam factus ſum æs ſonans, aut cymbalũ tinniens. Et ſi habuero prophetiam, et no uero myſteria omnia & omnem ſcientiam, et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; et ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodeſt, charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit nequiter, non inflatur; non eſt immodeſta, nõ quęrit quæ ſua ſunt, non iritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem ueritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cũ autem uenerit quod perfe-

perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cũ eſſem paruulus loquebar ut paruulus, ſapiebã ut paruulus, cogitabam ut paruulus. Quando autem factus ſum uir, oblita ſunt quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, Nunc cognoſco ex parte, tũc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autẽ manẽt fides, ſpes, charitas, tria hæc Maior autem inter hæc charitas.

DOMINICA INVOCAVIT

Euangelium, Matth. 4.

TVnc ductus eſt Ieſus in deſertum, à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus et quadraginta noctibus, poſtea eſuriјt. Et accedens ad eum tentator ille, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit. Scriptum eſt: Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſu

pra pinnaculū tēpli, et dixit ei: Si filius dei es, mitte te deorſum. Scriptū eſt enim quia angelis ſuis mādauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidē pedem tuū. Ait illi Ieſus rurſum: ſcriptū eſt: Nō tētabis dominū deū tuū. Iterū aſſumpſit eū diabolus in mōtem excelſum ualde, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloria eorū, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me. Tūc dixit ei Ieſus: Vade Satana. Scriptū enim: Dominū deū tuum adorabis, & illū ſoli ſeruies. Tūc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.

EVangelium eſt Didaſcalicum de tentatione.

Exordium cum ſuis locis eſt liberum, commodius erit à conditione piorum.

Propoſitio, de tentatione, & uictoria Chriſti.

Narratio à definitione. Quid tentatio? Quæ cauſæ? Qui effectus? Rom. 5.

À Diuiſione. Duplex eſt tentatio, dei et ſatanæ. Deus tentat ut ſaluet, et ut fidē, uerbumq; ſuum in nobis confirmet. Satā tentat, ut perdat, auferatq; et fidē & uerbum

& uerbum dei. Præterea eſt tentatio, cum primis de uictu, de adulterino ſenſu uerbi, de prædeſtinatione, de poſthabendo deo etc. Hæc autem per Satanã, mundum, carnem, aut mortem fiunt.

Confirmatio ab exemplo Chriſti in hoc euangelio, qui eſt noſter ſcopus & exemplar, cui nos oportet conformes fieri tentationibus, cruce & gloria. In Chriſto tentamur & uincimus, Ioan. 16. Confidite ego uici mundum.

Narratio. Tunc.] Scilicet ſtatim à baptiſmo.

Ductus eſt.] Non ſeſe ingeßit.

In deſertum.] Locum tentationi aptum. Tentandos ducit & ſegregat dominus ab omni humano præſidio, deſertum quid ſit, expone.

À ſpiritu.] Is cauſa efficiens eſt tentationis.

Vt tentaretur.] Cauſa finalis eſt.

À Diabolo.] Is tentationis inſtrumentum dei eſt. Ab officio, & etymologia diaboli.

Confirmatio ab exemplo in Iob. cap. 1. qui propterea tentator dicitur.

Et cum ieiunaſſet.] Ieiunare quid ſit.

Quadraginta diebus.] Eſt ieiunium pluſquã humanum, eſt ergo ſingularis dei ſubſtantiæ. Per quos Dominus uult mundo ſingulare quicquam demandare, et ſingulares doctores eſſe, prius ſeorſum ducit, rapit ſpiritu, ac docet. Deinde bene tentatos et eruditos

mundo producit, ut Moſen, Eliam, Ioannem Bapti-
ſtam, Chriſtum, & ueros concionatores omnes.

Præoccupatio refutatoria Ieiunij quadrageſima lis Papiſtici: quia non eſt nobis inde uerbum dei, nec poßibile, nec fructuoſum, aut meritorum eſt.

Poſtea eſuriit.] Reliquit eum diuina ſuſtentatio, permiſit ad ſe redire, deſtitutus eſt ab omni præſidio & diuino & humano. Eſurit, & nemo ſuppeditat, inde ſumit Satan tentandi occaſionem, hactenus dubitans: ſit ne ipſe deus, et ſemen illud quod ſibi conterat caput, poſtquam hic, pluſquàm humanum in eo obſeruauit, dum nihil edit quadraginta diebus.

Accedens tentator.] Eſt relatiua uox officij

Si filius dei es.] Sarcaſticè & ironicè alludit, ad ſuperiora Matth. 4. Hic eſt filius meus dilectus, &c. Eſt hypothetica propoſitio. Deus eſt omnipotens, Si eius filius es, facile ergo poteris ex lapidibus facere panes, ne fame pereas: quoniam uides hic in deſerto nihil eſſe, unde uitam ſuſtentes et ſerues. Prædicas deum patrem tuum eſſe, ipſeq; te filium agnoſcit. Ecce quàm egregiè iam, cum res poſtulat, paternum ſuum adfectũ erga te declarat. Vana illa uox eſt, quod te filium appellauit, Ieiunia & uana res eſt religio, perinde ac ſi ex lapidibus panes facias. Hac tentatione Satan multos à pietate auertit, & ad ſiniſtram deijcit.

Scriptum eſt.] Nihil eſt fortius quàm per uerbũ

reſiſtere

reſiſtere. Turris fortiſſima uerbum dei, arx munita, clypeus, gladius anceps, &c.

Non in ſolo in pane &c.] Refutat & defendit nõ ſolo pane, ſed magis uerbo dei ſuſtentari uitam. Et panem tantum eſſe medium uerbi dei. Docet quid hactenus ipſum ſuſtinuerit: nempe uerbũ dei. Egregius locus fidei de uictu, nos non perituros fame, etiamſi panis defuerit. Confirma ab exemplo filiorum Iſraël in deſerto. Huc refer locos ſcripturæ de uictu,

Aſſumpſit in ſanctam ciuitatem.] Eſt Periphraſis Hieroſolymæ, à loci circumſtantijs.

Mitte te deorſum.] Tentatoria propoſitio eſt.

Scriptum eſt.] Sarcaſticè confirmat dei uerbo, ſed ſuo more. Quod ſi uerbum dei citas, & ego cito: Nimis acris hæc eſt tentatio, ubi falſo intellectu uerbi dei adoritur, & nititur nos perſuadere Satan. Hac tentatione uincit, & conijcit multos in hæreſes & ſectas. Hinc Anabaptiſtæ, Sacramentarij & cæteri nati ſunt. Eſt et hæc tentatio, de prædeſtinatione. Climax. Quod ſi filius dei es, prædeſtinatus es. Si prædeſtinatus es, non cadet, Angeli enim cuſtodient & portabunt te. Si autem non prædeſtinatus es, nec filius dei es, Iam tenta an filius dei ſis nec ne. De prædeſtinatione uult nos dominus neſcios, ergo nihil de ea tentandum & ſcrutandum eſt, Satis ſcit prædeſtinatum eſſe, qui credit.

Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis, &c.] Refutat ſcripturam, male citatam. Habeo aliam deſcendendi uiam, quæ ſi non eſſet, tum uiderit Dominus de ſalute mea.

Iterū aſſumpſit eum diabolus.] Eſt & hæc hypotetica propoſitio. Iam cum de filio dei, uictu, & prædeſtinatione uincere non poteſt, tandem tentat uana huius mundi, & uitæ gloria, diuitijs, uoluptatibus, &c. Quoniam credentium res nimis aſpera, & ieiuna eſt. Magna promittit dominus, ſed nihil eſt reliquum, uana ſpe lactat: expecta, re expecta: modicū ibi modicum ſemper ibi. Interim nudus, ieiunus, egenus, et miſer es, crux ſemper comes ſequitur. Agnoſce me dominum, me adora, ego melius meis promiſsis reſpōdebo. Ego ſum deus et princeps mundi, mea ſunt hæc omnia, & dabo largiſsimè. Quod quidē facit, ut ſatis uidere licet in impijs et regno Papiſtico, ubi adorauerunt ſatanam pro deo, & potiti ſunt potiſsimis huius mundi felicitatibus. Pijs autem cuncta adimit, etiam bonum ex faucibus rapit.

Vade Satana.] Eſt hoſtilis, amara, et contemptoria increpatio & reiectio. Quid Satan ſit. Ab Etymologia, aduerſarius.

Scriptum eſt.] Scriptura amuſsis, certa regula, et omniū tentationū et quæſtionum reſolutio eſt.

Dominum Deum tuum adorabis, &c.] Dominus deus

nus Deus eſt qui ſolo uerbo creauit & ſuſtentat cœlum & terram, quod noc angelus, nec homo, nec Satan fecit. Is ſummo iure ut Deus & Dominus adorandus eſt, & ſibi ſoli ſeruiendum. Quare ergo falſo tibi Dei honorem & maieſtatem arrogas, cum ſis perditiſsimus Satan? Hinc ſatis liquet Deum alienum eſſe, quicquid præter uerum Deum colimus. Hunc locum poteris pro loco, tempore, & neceſsitate amplificare.

Tunc reliquit eum Diabolus.] Satan longius perdurare & perſiſtere non poteſt, uincitur & cædit, poſtquàm eius dolus detegitur, eiquè ſatis acriter, & animoſe reſiſtitur.

Accedunt angeli.] Succeſſus tentationis eſt: Nouit dominus ſuos de tẽtatione eripere. Non ſinit ſuos tentari ſupra quã ferre poſſunt, &c. Poſt acrem tentationem uenit magna conſolatio, lætitia, reuelatio, & cognitio dei. Poſt hanc tentationẽ Chriſtus prodit in uulgus, & ſuſcipit euangelizandi prouinciã, deſignatus doctor, Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3. Ipſum audite.

Epilogus repetit ſuperiora conſolatur & exhortatur ab exemplo Chriſti, ut ſimili ratione nos præſtemus in quauis tentatione: quoniam poſt baptiſmũ Chriſto inſerimur, et tentationibus exponimur, compatimur ut conregnemus.

EPISTOLA II. CORINTH. VI.

Hortatur

Hortatur, ut Chriſtianè, piè & inculpatè uiuamus tempore gratiæ, maximè ut patiēter tolleremus tentationes, & uarias affectationes.

ADiuuātes autem adhortamur, ne in uacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis audiui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes ullam offenſionē, ut non uituperetur miniſteriū noſtrū: Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut dei miniſtros. In multa patientia, in tribulationibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute dei. Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. Per gloriam & ignobilitatem. Per infamiam & bonam famam, quaſi ſeductores, & tamē ueraces, quaſi ignoti, & tamen noti. Quaſi moriētes & ecce uiuimus, ut caſtigati, & non mortificati,

cati. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudẽtes, ſicut egentes, multos autẽ locupletantes. Tanquàm nihil habentes, & tamen omnia poſsidentes.

DOMINICA REMINISCERE
Euangelium, Matth. 15.

ET egreſſus inde Ieſus, ſeceſsit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio uexatur. Qui non reſpondit ei uerbum. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondẽs, ait: Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. At illa uenit et adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui reſpondens, ait: Non eſt bonũ ſumere panem filiorum, & proijcere ante canes. At illa dixit: Etiam Domine, Catelli autem edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondẽs Ieſus, ait illi: O mulier magna

magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut uis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

EVANGELIVM *eſt generis Deliberatiui, quo petimus.*

Exordium commode à ſuperioribus, aut unde libet, ſumitur, additis ſuis locis.

Propoſitio, de conſtanti fide & oratione mulieris Syropheniſſæ. Primũ defini, Quid fides, Quæ cauſæ, Qui effectus, Quotuplex. Item quid Oratio. Quæ cauſæ, Qui effectus. Quotuplex. À Confirmatione eſt hoc Euangelium.

Narratio. Seceßit Ieſus in partes Tyri & Sydonis.] Indignabundus propter Iudæorum præfractam duriciem, ſupra eodem capite, quæ poteris obiter perſtringere.

Ecce.] Ab euentu, unde tale non ſperabatur.

Mulier Chananæa.] Aliás Syrophœniſſa, à Syria & Phœnicia, hoc eſt, planè gentilis. Quam gratiam Iudæi aſpernabantur, eam gentiles ſummis uotis expetunt, & rogant.

Egreſſa clamauit.] Fidei effectus ſeu opera ſunt.

Miſerere mei.] Exordium orationis eſt à Pathos ſeu adfectu. Quid miſereri. Signat ſe uehemens deſiderium ad Chriſtum habere, quod eam neceßitas cogit clamare.

Fili

Fili Dauid.] Captatio beneuolentiæ eſt, & plenæ fidei uerba, ac ſi diceret: Verè Meßia, rex Iudæorum ex ſtirpe Dauid nate.

Filia mea, &c.] Propoſitio eſt, & cauſa efficiens orationis.

Qui non reſpondit ei uerbum.] Zelus Chriſti hoc facit erga Iudæos. Statuit namq;, ut Iudæi primum deinde gentes ex Iudæis reciperent uerbum dei: iam autem uidet ordinem præpoſterum, id eum male habet. Item hæc eſt ſatis magna oppugnatio fidei mulierculæ, & egregiè illius familiaritatis Chriſti, quã de eo audierat, ut qui quò ſuis facilè audit & iuuat. Ita ſeparat Chriſtus primum adorationẽ noſtrã quaſi non audiat, quod in pleriſq; Pſalmis queritur Dauid.

Et accedentes diſcipuli.] Clamoris & miſeriæ tædio adfecti. Præoccupabis interceßionem Sanctorum.

Non ſum miſſus, &c.] Non eſt hoc meum officiũ Hoc nimis eſt os durum. De Prædeſtinatione.

At illa uenit.] Secuta in domum.

Adorauit eum.] Conſtãs fides, repulſam etiã de prædeſtinatione nõ admittit. Promiſiſti, ergo debes.

Non eſt bonum, &c.] Ab indecoro & abſurdo.

A collatione Iudæorum & Gentium, filiorum & canum.

Etiã domine.] Cõuincit cõceßione, inuerſione et

Dilutione obiecti argumenti, ita ut iam Chriſtus nihil habeat quod proferet contra. Sic Dominum conuincere noſtra oratione & argumentis poſſumus, nō reſpecta noſtra dignitate, aut indignitate, ſed ſola ſua promiſsione: quoniam promiſit deus, ergo debet, qui promittit, debet: Item uerus eſt deus, quæ ſemel locutus eſt, non facit irrita. Hunc locum poteris latiſsimè amplificare adductis promiſsionum ſententijs.

Ò mulier.] Exclamatio eſt admiratoria conſtantis fidei.

Magna eſt fides tua.] Fidei præconium.

Fiat tibi ſicut uis.] Conſtans fides & oratio quid uis impetrat.

Sicut uis.] Copioſe dictum eſt. Amplifica ab exemplis ex ueteri & nouo Teſtameoto. Item parabolis de oratione, Lucæ 11. & 18. &c.

Vſus euangelij eſt omnibus pijs in neceſsitate conſtitutus, & confirmatio orationis noſtræ.

Epilogus conſtat enumeratione et exhortatione.

EPISTOLA I. THESSAL. IIII.

Vt corpus & uas noſtrum purum conſeruemus, & poſsideamus, ne gentilium more, malis adfectibus, & immundo ſpiritu agitemur, quemadmodum filia huius mulierculæ.

Cæterum

CAeterum fratres rogamus uos, & adhortamur in domino Ieſu, ut quemadmodũ accepiſtis à nobis, quomodo oporteat uos ambulare & placere deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ pręcepta dederim uobis per dominum Ieſum. Hæc eſt enim uoluntas dei, ſanctificatio ueſtri, ut abſtineatis uos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſq; ueſtrûm uas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant deum. Et ne quis ſupergrediatur, neq; circunueniat in negocio fratrẽ ſuũ, quoniam uindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut pręдиximus uobis & teſtificati ſumus. Non enim uocauit nos Deus ad immundiciem, ſed ad ſanctificationem.

DOMINICA OCVLI

Euangelium, Lucæ XI.

ERat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus & admiratæ

miratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia. Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem, ut uidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum contra ſeipſum diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet: ſi autem & Satanas cõtra ſeipſum diuiſus eſt, quo modo ſtabit regnũ eius, quia dicitis, in Beelzebub me eijcere dæmonia. Si aũt ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij ueſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices ueſtri erunt. Porrò ſi in digito dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in uos regnũ dei. Cum fortis armatus cuſtodit atriũ ſuũ, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si aũt fortior eo ſuperueniens, uicerit eũ, uniuerſa arma eius auferet, in quibus cõfidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui nõ eſt mecũ, contra me eſt, & qui nõ colligit mecum, diſpergit. Cum immũdus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem,

quiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui. Et cũ uenerit, inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Et tunc uadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Factũ eſt autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quin imò beati qui audiunt uerbum dei, & cuſtodiunt illud.

Evangelium contentioſum, & argumentoſum eſt. Exordium cum ſuis locis eſt liberum.

Propoſitio. Chriſtus curat obſeſſum, id malè interpretantur Phariſæi, Chriſtus contra defendit. Ea eſt ſors uerbi & operum Dei in mundo.

Narratio. Chriſtus eijcit dæmonium mutũ, quod præter omnem cõtrouerſiam ſingulare opus dei eſt. Expone quid Dæmoniũ. Quod inditium obſeßi, mutum eſſe à uerbo Dei. Sic omnes naſcimur filij iræ, & dæmonio obſeßi, maledictioni obnoxij, muti ad uerbum dei. Gratis autem per gratiam Chriſti præter meritum ſaluamur.

A conſequentijs. Id alij admirantur, alij blaſphemant, alij hoc non contenti, tentantes, quærunt ſignũ de cœlo. Ea eſt indoles increduli mundi.

In Beelzebub &c.] Eſt contentionis ſtatus ſeu propoſitio, & peccatum in ſpiritum ſanctum, quia perſpicuũ dei opus Satanæ adſcribunt. Expone quid ſit peccatum in patrem, filium, & ſpiritum ſanctũ, Marci 3. Amen dico uobis, quoniam omnia dimittentur hominibus peccata, quibus peccauerint in patrẽ & filium: peccatum autem in ſpiritum ſanctum non dimittetur, neq; hic, neq; in futuro. Confirma exemplis Petri & Pauli, &c. qui peccauerunt in filium. Contra aũt Iudas deſperatione, & hic Iudæi aperta blaſphemia peccant in ſpiritũ ſanctum. Vide in Ser. Mar. Luth. de peccato in ſpiritum ſanctum.

Vide cogitationes.] Ipſe eſt ſcrutator cordium, & ſcit quid eſt in homine.

Omne regnum.] Refutat argumento Darij per negatiuum erotema. Adde ſimiles locos & ſententias diſcordiæ.

Si ego in Beelzebub, &c. filij ueſtri in quo &c.] Alia Hypothetica refutatio per erotema. Eſt Enthymema, ab exemplo ſimili. Vna eſt eijciendi Satanam ratio. Si ego in Beelzebub eijcio dæmonium: Ergo & filij ueſtri prophetæ et Apoſtoli eijciunt in Beelzebub. Quod ſi per deum eijciunt, Et ego per deum

eijcio

eijcio. Porrò ſi in digito dei eijcio,&c.] Corri=
git ab Antitheſi per Hypotheſin. Quid digitus Dei?
Quid regnum dei. Si per uirtutẽ dei,& ſpiritus ſan=
cti eijcio dæmonia, quod irrefragabile eſt, profectò
certum eſt ueniſſe ad uos regnum dei,ueniſſe Meßiã
ſupplantatorem & deſtructorem Satanæ,& filij re=
gni. Obiter ſe,quis ſit,deſignat.

Cum fortis armatus,&c.] Confirmat à ſimili,ar
gumento Darij,de regno dei & ſatanæ. Fortẽ fortior
uincit. Satan fortis eſt,Deus fortior eſt. Ego eijcio Sa=
tanam,& regnum eius deſtruo:Ergo fortior et Deus
ſum. Apertè declarat ſe eſſe Meßiam, Emanuëlem.
Ita conuincit eos apertis argumentis,ut eorum dam=
natio iuſta ſit.

Qui non eſt mecum,&c.] À pugnantibus. Non
conuenit deo & Belial. Satan & uos:non eſtis mecũ,
nec colligitis mecum. Propterea aduerſamini,diſper
gitis,& benè geſta peßimè interpretamini.

Cum immundus ſpiritus,&c.] Parabolam adijcit
qua nobis incutit timorem,& obiter ſignificat mul=
to peius quàm ante cum ipſis fieri, qui oblata dei be=
neficia reijciunt. Chriſtus ſuo aduentu eiecit immun
dum ſpiritũ,idololatriæ & falſi cultus dei ex Iudæis,
& emundauit eos. Cæterum cum ſuam mundiciẽ ne=
glexerunt,eiecti ſunt è regno,terra promiſſa dei co=
gnitione,&c. multò deteriores ſunt quàm ante. Obi=

ter aſsignauit, quid Iudæis eſſet futurũ. Adapta hæc ad noſtra Euangelica tempora, amplifica, & confirma ſenientijs & exemplis ſcripturæ. 2. Pet. 3. Heb. 6. Ita accidit Græcis, Italis &c. Docet & hæc parabola, Satanam non relinquere intentatos à quibus ſemel eiectus eſt.

Extollens uocem &c.] Humile uulgus admiratur Chriſtum, & attentè auſcultat, Tumidi autem et excæcati Phariſæi, dãnant & blaſphemant Chriſtũ.

Beatus uenter.] Epiphonema eſt. Ò fœlix illa mater, quæ te talem peperit filium.

Quin imò.] Non refutat ſed corrigit.

Beati qui audiunt uerbum dei.] Hæc eſt ſumma totius pietatis, religionis & Chriſtianiſmi. Quid audire. Quid cuſtodire uerbum. Epilogus conſtat enumeratione, & exhortatione.

EPISTOLA EPHES. V.

Ne admittamus regnum Satanæ, quod conſiſtit malis adfectibus, diſſoluta uita, ſpurcitia, & immundo ſpiritu, cuius mentio fit in Euangelio.

EStote ergo imitatores dei ſicut filij chariſſimi, et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationẽ & hoſtiã deo in odorẽ ſuauitatis. Fornicatio

nicatio autem, & omnis immundicia aut auaritia, nec nominetur inter uos, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent: ſed magis gratiarũ actio. Hoc enim ſcitote intelligentes quod omnis fornicator aut immundus aut auarus, qui eſt idolorũ cultor, non habet hæreditatem in regno Chriſti & dei. Nemo uos ſeducat inanibus uerbis. Propter hæc enim uenit ira dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebre, nũc aũt lux in domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſticia et ueritate.

DOMINICA LETARE.

Euangelium, Ioannis VI.

ABijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna, quia uidebant ſigna quæ faciebat, ſuper his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Ieſus: & ibi ſedebat cũ diſcipulis ſuis.

Erat autem proximum paſcha dies feſtus Iudæorum. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & uidiſſet quod multitudo maxima ueniſſet ad eũ, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit Philippus, Ducentorũ denariorũ panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſq; modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri. Eſt puer unus hic quinq; panes ordeaceos et duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tot. Dixit ergo Ieſus: Facite homines diſcũbere. Erat autem fœnum multum in loco eo. Diſcubuerũt ergo uiri numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcũbentibus. Similiter et ex piſcibus, quantum uolebat. Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim

cophinos

cophinos fragmentorum ex quinq; pa nibus ordeaceis quæ ſuperfuerunt his qui manducauerunt:Illi ergo homines cum uidiſſent,quod Ieſus fecerat ſignū dicebāt: Hic eſt uerè ille propheta,qui uēturus eſt in mundū. Ieſus ergo cum cognouiſſet, quod uenturi eſſent,ut raperent ſe, & facerent ſe regem,fugit ite rum in montem ipſe ſolus.

Evangelium eſt generis Deliberatiui ſeu Suaſorij contra ſollicitudinem de uictu.

Exordium eſt liberum, aut à communi querela de uictu, & de fidei noſtræ tenuitate.

Propoſitio, de cura domini pro noſtro uictu. Chriſtus re ipſa præſtat quod docuit, Math. 6. Breuiter. Sequentes ſe nutrit dominus. Adeò & quicquid creauit dominus, paſcit. Pios autem ſingulari et ſupra humano modo, ſi res urget, nutrit. Confirmationis loco eſt huius Euāgelij hiſtoria. Narrationis exordium eſt tranſitio ſuperiorū. Poſtquàm Chriſtus ita cum Phariſæis diſceptauit, uulgus pendet ab eo, & ſequitur. Sequimur et adhæremus Chriſto fide ex ſuis promiſſionibus.

Quia uidebant ſigna &c.] Cauſa ſequelæ, Rapitur uulgus ſecundum doctrinam ipſis ſignis. Duce-

re & ſequi, ſunt correlatiua. Ducit nos Chriſtus promiſſionibus, Pſal. 32. 33. 236. 54. 80. 144. 146. Deu. 8. Pruerb. Matt. 6. 1. Petri 4. Exemplis filiorũ Iſrael in deſerto. Moſe, Eliæ, uiduæ Saraptanæ, uxoris prophetæ. 4. Regum. 4. Danielis, Sampſonis, de ſiti. Hic quinq; milia, aliâs quatuor milia hominum pauit. Interim dum magna promittit, & lactat promiſſionionibus, ecce ducit nos in deſertum. Eſt ne ibi de uictu benè proſpectum; Deſertum, à relatione uocis. Itane lactat uana ſpe famelicos & ſuſpenſos? Ea eſt domini ratio, priuſquàm paſcat, ducit in famem, per mortem ad uitam per inopiam ad diuitias &c. Ita dominus ſemper abludit à ſuis promiſſionibus et parat diuerſum agere. Cauſa eſt, ut clareſcat glorioſus, & magis perſpicuum fiat ſuum miraculum.

Cum ſubleuaſſet oculos.) Reſpectus & cura domini eſt. Oculi domini ſuper iuſtos. Non uidi iuſtum derelictum. Quis ſperauit in Deum, & derelictus eſt? Iam ſubleuat oculos, hactenus uiſus nõ reſpicere.

Non poteſt latere Chriſtus. Indignabundus, & præfractos Iudæos peroſus, quærit ſeceſſum, ut quieſcat dum recta abit, ecce ſequitur magna hominum copia. Venientem ad ſe.) Non poteſt ſequentes reijcere & dimittere. Omnis qui uenit ad me, non eijciam foras.

Vnde ememus panes? Tentationis cauſa dixit, ut

uideret quid ſidei haberent: quoniam iam uiderant aquam in uinum uerſam: tot infirmos curatos, ſciebant ſententias & exempla ſcripturæ de uictu. Sic *ſemper interrogat nos mente* Dominus,*fauendo nobiſcum rem excellentem parat,ut de matrimonio,de œconomia,alijsq́; functionibus ſuſcipiēdis.* Ad hæc re*ſpondemus quemadmodū hic* Apoſtoli Philippus & Andreas, *qui ex media etiā ratione & acutiſsimo cōſilo,extremam produnt infidelitatem,obliti* Chriſtū *deum omnipotentem, dum aiunt:* Ducentorum dena*riorum panes non ſufficere.* Et quid hæc inter tantos. Ita *humana ratio plane nihil agit ad fidem & opera.* Patienter utiq; fert dominus,non reijcit Apoſtolorū *imbecillitatem,nobis pro exemplo omnibus deſperatis: locus deſertus eſt,hora præterijt,triduo ſuſtinuerunt,non habent quod manducent,adeò &* Apoſtoli *iubētur dare cibū populo,cū nihil habet ipſi.* Rauffe da keyn hor iſt. Vt *autē manifeſte ſentiant opus dei,* Chriſtus *iam primū ſuo more parat ſuis reſpondere promiſſis.* Iubete homines diſcumbere.) Ego *ſcio de uictu præſidium.* Paradoxon *hoc eſt.*

Diſcubuerant.) Noſtrū *eſt diſcūbere,& domini iuſsis in ſingulis uocationibus, & uitæ genere obſequi,* Ipſe *interim de uictu proſpiciet.* Laborem præcipit,ſollicitudinem prohibet.

Viri quinq; milia.) Præter mulieres,& pueros. Hæc

admiraculi

ad miraculi excellentiam ſpectant.

Accepit, gratias egit, benedixit & diſtribuit.] Per manus & benedictionem domini, panes, piſces, & quæuis augentur, aliâs non item. Benedictio Domini diuites facit & ſaginat. Benedicere & gratias agere, hoc loco nos docet Chriſtus, quando ad menſam accedimus. Idem Paulus 1. Timo. 4. Omnis creatura dei bona eſt, ſi cum gratiarũ actione ſumatur.

Diſtribuit.] Dante te illis, colligent, aperiẽte te manum tuam, omnia implebũtur bonitate, Pſal. 103

Vt autem impleti ſunt.] Ad ſaturitatem uſq; replet dominus. Eſurientes impleuit bonis. Dilata os, et ego implebo illud.

Colligite fragmenta.] Docet non abuti dei donis, ſed quæ ſuperſunt, reſeruanda eſſe in uſus poſteros & pauperum. Item, ut oſtenderet miraculum benedictionis & curæ Domini, & multo plus ſupereſſe quàm fuit ante. Simile exhibet pijs omnibus, ab exemplo Iacob, Geneſ. 32. In baculo meo tranſiui Iordanẽ hunc, & nunc cum duabus turmis egredior. Item, ne ſimus de uictu ſecuri et negligentes, putantes nos ſemper miraculoſe paſcendos eſſe. In ſudore uultus tui ueſceris pane, & cætera.

Hic eſt uerè propheta ille.] Deut. 18. Ergo Meſſias & Emanuẽl eſt. À ſignis colligebant. Chriſtus fuit rapturos & facturos ipſum regem. Quod maximè

mē cauendū eſt, ne felicitatis tempore ſuperbiamus, neúe applauſum uulgi ſuſcipiamus & aſſentatoribus pateſaciamus aures. Nam Euangelium rude uulgus non tam fide & uerbo quàm miraculis agitur: uult euangelium ad ſuos adfectus rapere, ad libertatē carnalem, et ad uanam mundi oſtentationem, omnes adcurrunt, et ſequuntur & ſuſcipiunt Chriſtū et euangelium, dum uiuitur ſine cruce, dum datur cibus & proſpera ſuccedunt omnia. Quod ſi non fit, ſcandalizatur, retrocedit, relabitur, & crucifige clamitat. Quæ tamē omnia Chriſtus ignorantiæ adſcribit: nam eorū multos à reſurrectione per prædicationē Apoſtolorum ad pœnitentiam reuocauit, & ad gratiam recepit ſpirituq; ſancto illuſtrauit in die Pentecoſtes. Amplificabis ab antitheſi ſi uacat diffidentia ſcilicet, quæ æquè multa ſubminiſtrabit argumenta & locos. Qui non ſequuntur, non credunt, nec nutriuntur. Diuites eguerunt et eſurierunt: inquirentes autem dominum, non minuentur omni bono.

Epilogus repetit ſuperiora et exhortatur. Vſus euangelij eſt, ut ſequamur Chriſtum quocunq; duxerit ſuſpenſos, uel in deſertum uſq;, nec recurramus, niſi ab eo paſti et dimiſſi, futurum eſt ut uideamus mirabilia dei. Item, Dominus miro ſuo opere confundit noſtram diffidentiam et ſollicitudinem de uictu, ita ut cum incredulis Apoſtolis confuſi, porrò diſcamus nos deo cōmittere.

Epiſtola

EPISTOLA GALA. IIII.

Docet allegoricè de ſeruitute Legis, & Libertate Euangelij, ut poſthabitis ſeruilibus Phariſæis, ſequamur liberum, & liberatorem Chriſtum.

DIco autem, quanto tempore hæres paruulus eſt nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & procuratoribus eſt, uſq; ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. At ubi tempus completum eſt, miſit deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filij dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda ueſtra clamãtem: Abba pater. Itaq; iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quod ſi filius, & hæres dei per Chriſtum.

DOMINICA IVDICA

Euangelium, Ioan. VIII.

Quis

QVis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex deo eſt uerba dei audit: Propterea uos non auditis, quia ex deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne benedicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & uos inhonoraſtis me. Ego autem nõ quæro gloriam meam. Eſt qui quærit & iudicat. Amen amen dico uobis ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit in ęternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus, quod dæmonium habes, Abraham mortuus eſt & prophetæ: & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, nõ guſtabit mortẽ in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? Et prophetæ mortui ſunt. Quẽ teipſum facis? Reſpondit Ieſus, Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus,

meus,qui glorificat me, quem uos, dicitis,quia deus noſter eſt,et non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum, & ſi dixero quod non ſcio eum, ero ſimilis uobis mendax,ſed eum ſcio, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater ueſter exultauit ut uideret diem meum,& uidit, & gauiſus eſt. Dixerũt ergo Iudæi ad eum,quinquaginta annos nondum habes,& Abraham uidiſti? Dixit eis Ieſus: Amen amen dico uobis,anteꝗ̃ Abraham foret,ego ſum. Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe,& exiuit de templo.

Argumentoſum eſt euangelium.

Exordium cum ſuis locis eſt liberum.

Propoſitio. Chriſtus confirmat ſe filium dei eſſe Meſsiam. Iudæi contra refutant,non ex ignorantia, ſed induratione et obſtinatione, atque hoc ſub ſpecie pietatis et bonæ rationis, offenſi tenuitate perſonæ Chriſti,à circunſtantijs collecta,Ita nuſquàm conuenit Chriſto cum Phariſæis.

Narrationem orditur ab inſultatione, qua ſuam uitam defendit.

Quis ex uobis arguet me de peccato?]*Hoc nemo de ſe*

de ſe prædicare poteſt, & plusquàm humanum eſt: quoniam omnes peccauerunt, & nõ eſt iuſtus: Ergo diuinum quiddam eſt in Ieſu, quod de Meßia prædixit Eſaias. Qui peccatum non fecit &c. Nemo ueſtrûm poteſt me de peccato arguere. Sequitur me eſſe Meßiam. Defendit ſuam uitam.

Si ueritatem dico &c.] Defendit ſuam doctrinam. Dico, quæ refellere nõ poteſtis, quare ergo non creditis mihi? Quare autem impij non credunt ueritati, cauſam efficientem ipſe exponit hoc ſyllogiſmo Baraco, ab effectu fidei. Fides diligenter audit uerbum dei, Vos non auditis, ergo fidem non habetis. Fide ſumus ex deo & filij dei, Ioannis 1. & in ſuis Epiſtolis. Collectio eſt à ſignis externis. Qui ex deo eſt, uerba dei audit, ut credat & confirmet fidem. Vos non auditis, quia ex deo nõ eſtis. Sequitur ergo eos & omnes incredulos ex diabolo eſſe. Hoc remordet ſanctos Phariſæos, quia ſupra dicebant ſe patrem habere deum. Hinc conuiciantur, excandeſcunt, calumniantur, & ſarcaſticè præter conſcientiam Chriſtum Samaritanum appellant, et dæmonium habere.

Nónne benedicimus nos &c.] Collectio refutatoria ex ſuperiori argumento. Tu non es genuinus Iudæus, ſed apoſtata. Samaritanus es, cum negas nos ex deo eſſe, quia patrem, & noſtræ ſtirpis originem habemus deum. Summa, dæmonium habes cum hæc

dicis,tu non diuina ſed planè diabolica doces. Expone quid Samaritanus. Quid dæmonium habere. Hæc ſors Chriſti ſuorumq́; eſt, et teſtimonium mundi. Per Samaritanũ,uitam,per dæmonium, doctrinam eius, damnat. Hinc patet, quid ſit peccatum in ſpiritũ ſanctum,quoniam refragantur apertæ ueritati,dũ damnat eius uitam, & doctrinam planè diuinam, adeò & Satanæ adſcribunt.

Ego dæmonium non habeo.] Refutat & defendit doctrinam,de uita tacet,quoniam nihil refert uitam noſtram ne damnent,aut laudẽt, modo rectè uiuamus. Doctrinam autẽ defendere oportet, quia dei eſt: Qui me confeſſus fuerit &c. Ibi non oportet tacere etiam ad ſanguinem,ignem,& mortẽ uſq;. Eccle. Ne uerearis agonizare pro uero uſq; ad animã.

Sed honorifico patrem.] Verbum eius prædico, celebrè facio eius nomen, qui ſummus dei eſt honor.

Et uos inhonoraſtis me.] Ita ſuſcipitis dei nuncium,unde perſpicuum eſt,quàm gratum habetis dei uerbũ,quàm eſtis ex deo: Qui me ſuſcipit,ſuſcipit eũ qui miſit me: Qui me reijcit,reijcit eũ qui miſit me. Cõſequentia eſt. Ea eſt fortuna omniũ Cõcionatorũ.

Non quæro gloriam meam.] Præteritio eſt. Non uolo meipſum magnum facere,& multa de me prædicare,quamuis uerè poſſum,prudens prætermitto. Non qui ſeſe, ſed quem deus commendat ipſe probatus eſt. Non laudet te os tuum. Eſt

Eſt qui quærit & iudicat &c.] Modeſta permiſſio eſt. Tradidit ſe iudicanti iuſte, 1. Pet. 2. Cum malediceretur non maledixit: ita dei miniſtris prætereunda ſunt omnia cõuitia mũdi. De mea gloria uiderit dominus. Ipſe me ſuo tẽpore egregiè glorificabit.

Amen amen dico uobis &c.] Dictorum confirmatio eſt, & ualde euangelica ſentẽtia & noua propoſitio. Si quis ſermonem.] Expone quid ſermo Chriſti. Credere in eũ quẽ pater miſit. Quid ſeruare

Mortem non uidebit.] Virtus & effectus uerbi dei eſt: Quid mors æterna.

Nunc cognouimus.] Exclamatio cum collectione ex amphibolo ſeu ambiguo, unde eum mendacij arguunt, & confirmant quod dixerant ipſum dæmonium habere. Ita nihil eſt aduerſus ſycophantiæ morſum, nec proficitur cum his, qui ex aduerſo data opera argumẽta quærunt, qui penitus ſinendi ſunt ut indigni, quibus myſteria Dei proſtituamus. Quod autem hic non deſinit Chriſtus, facit ut eorum damnatio iuſta ſit, & non habeant quod in iudicio pro excuſatione adducant. Niſi ueniſſem et locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.

Abraham mortuus eſt &c.] Hic ſuo more cauillantur & refutant Chriſti uerba aperto argumento ab exẽplis, ſed ex ambiguo de duplici morte, aliterq; loquuntur quàm ſentiunt. Chriſtus de morte æterna

 loqui-

loquitur, ipſi de corporis morte accipiunt. Iudæi inuita & ironica conceßione permittunt ipſum eſſe deũ, ſed amarè refutant ab exemplo Abrahæ & prophetarum, qui ſeruauerunt ſermonem dei, & utiq; mortui ſunt. Ita ueritatẽ mendacij arguere ſtudent, cum tamen uerum eſt argumentũ. Abraham & prophetæ crediderunt in me futurũ Meßiam: Ergo ſeruauerunt ſermonem dei et uiuunt. Tu arguis te deũ, & ſermonem tuum dei ſermonem eſſe, & qui ſermonem tuum ſeruauerit nõ moriturum. Iam Abraham & prophetæ ſermonem dei ſeruauerunt utiq; mortui ſunt, ergo mentiris. Et certè non es maior ætate & ſenior patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt & prophetæ. Eſt deſpectus tenuitatis Chriſti. Ita præſentia, ut ut optima, faſtidimus, abſentia & ablata prædicamus. Gloriantur de patre Abraham, ut ſolẽt degeneres filij, ad ſuum ipſorum dedecus.

Quem teipſum facis?] *Quid prædicas de teipſo? Quis es? Amara quæſtio eſt. Certè non eſt plus quàm Abraham.*

Si ego glorifico meipſum &c.] *Extenuatio, & periphraſtica inſinuatio ſui eſt, qua ſignat ſe deum & dei filium eſſe Meßiam. Poſſet ſimpliciter reſpondiſſe: Ego ſum dei filius ille Meßias, ſed modeſtè dißimulat, & relinquit hoc negocium deo patri, qui ipſum glorificat ipſo opere et miraculis, unde ſatis innoteſcit*

noteſcit quis ipſe ſit. Egregia doctrina modeſtiæ eſt. ut humiliter de nobis ſentiamus, né ue de nobis magna iactemus. Deus ipſe producet nos ad lucem, & glorioſos faciet, modo rectè agamus. Gloria Chriſti eſt, ſe eſſe Meßiam ſaluatorem, hoc ubiq; dißimulat, attamen innoteſcit. Quanto maior es, tanto ſubmiſſius te gere.

Quem uos dicitis, quia pater ueſter eſt &c.] Taxat eos mendacij, quod ita de deo patre glorientur, & diſcernit fictam fidem auerſa fide. Idem faciunt falſi Chriſtiani.

Ego ſcio eum &c.] Inſultatio, & certa teſtatio eſt fidei contra infideles.

Abraham exultauit &c.] Obiter indicat ſe eſſe promiſſum illum Meßiam dei filium, uidit Abraham diem meum ſpiritu & fide, ex promißione: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.

Quinquaginta annos &c.] Iudæi rurſum taxant eum mendacij ab ætate. Nō eſt humanæ ætatis, te Abraham, tot annos uita defunctum, in carne uidiſſe uiuū, quod tu prædicas, qui quinquaginta annos nōdum habes, & Abrahā uidiſti? ſarcaſtica irriſio eſt.

Antequàm Abraham fieret &c.] Chriſtus rurſum ab ætate cōfirmat ſe ſcilicet eſſe infinitum, ergo deum. Tulerunt lapides.] Hic ſuo more furibundi ad arma proſiliunt, & ut blaſphemum uolunt lapidare.

pidare. Illa ſequuntur ueritatem. Ieſus abſcondit ſe.] Nondum uenit hora eius,nec fuit hoc mortis genus quod pateretur. Epilogus repetit ſuperiora. Nihil proficitur cum induratis impijs.

EPISTOLA HEBRAE. IX.

Chriſtus expulſus ex manufacto templo,ingreſſus eſt ſummus et æternus pontifex in templum, & ſanctuarium æternum & cœleſte.

CHriſtus aſsiſtens pontifex futurorum bonorũ per amplius & perfectius tabernaculum,non manufactũ, id eſt,nõ huius creationis:neq; per ſanguinem hircorum aut uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta,æternam redemptionem inueniens. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis uitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat purificans carnem,quanto magis ſanguis Chriſti,qui per ſpiritum ęternum ſemetipſum obtulit immaculatum deo,emundat conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendũ deo uiuenti. Et ideò noui teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente,hi qui uocati ſunt ad ęternam

nam hæreditatem, accipiant promiſſionem ad redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priore teſtamento. Vbi enim teſtamentum eſt, neceſſe eſt, ut mors intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis ratum eſt, nondum enim ualet, dum uiuit qui teſtatus eſt. Vnde nec prius illud ſine ſanguine dedicatum eſt.

DOMINICA PALMARVM

Euangelium, Matth. XXI.

ET cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & ueniſſent Bethphagæ ad montem oliueti: tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra uos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi, & ſi quis uobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos. Hoc autem factũ eſt, ut impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus, ſedens

ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerũt, aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos ueſtimenta ſua, et eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt ueſtimenta ſua in uia. Alia autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in uia. Turbæ autẽ quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant, dicẽtes: Hoſianna filio Dauid, Benedictus qui uenit in nomine domini, Hoſianna in excelſis. Et cum intraſſet Hieroſolymam, cõmota eſt uniuerſa ciuitas, dicens. Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus ille propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Ieſus in templum dei, & eijciebat omnes uendentes, & ementes in templo, & menſas nummulariorum & cathedras uendentium columbas euertit, & dixit eis: Scriptum eſt, Domus mea, domus orationis uocabitur, uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et acceſſerunt

ceſſerunt ad eum cœci & claudi in tem plo, & ſanauit eos. Videntes autē prin cipes ſacerdotum, & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſianna filio Dauid. indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis, Vtiq;, Nunquam legiſtis: Ex ore infan tium & lactantium perfeciſti laudem. Et relictis illis abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq; manſit.

Euangelium eſt didaſcalicum, docet Chriſtum ueniſſe, ita ut prophetæ prædixerant inter quæ & equitatus eſt.

Exordium eſt liberum cum ſuis locis, aut quid cauſæ quod hoc Euangelium bis ponitur.

Propoſitio, Chriſtus equitat in Hieruſalem. Cauſa eſt uaticinium Zachariæ 9. de Meſsia: Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, &c. Hoc in Ieſu Nazareno oſtenſum eſt: Ergo rex & Meſsias eſt. Hæc oportuit fieri Hieroſolymæ, quæ eſt filia Sion. Expone.

Narratio eſt ſimplex & hiſtorica huius equitatus recitatio. Chriſtus mittit allatum aſinam & pullum, abeunt, adducunt, imponunt Chriſtum, uulgaris

plebecula agnoſcit eum ut regem, ſubſternit ueſtimenta in uiam, cædit ramos de arboribus, ut decoret uiam, præcedentes & ſubſequentes occinunt nouo regi carmen gratulatoriũ, ſoli Chriſto regi congruũ. Oſianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini. Benedictum regnum patris noſtri Dauid. Ita dominus promouet ſua uaticinia.

Hoc factum eſt ut impleretur, &c.] Confirmatio eſt à ſcripturæ teſtimonio.

Ecce rex tuus, &c.] Deſcriptio Meßiæ ab habitu, & animi qualitate.

Ecce.] Ab inopinato, & inſolito regio more.

Rex tuus.] Tibi uaticinio prædictus, & expectatus. Venit tibi.] In præſenti, non eſt quod aliũ expectes. Manſuetus.] Ab animi conditione Zachariæ 9. Iuſtus ſaluator & pauper.

Sedens ſuper aſinam.] Ab habitu, non eſt pompoſus, faſtuoſus, ſuperbus & ſumptuoſus, ſed mitis, benignus, manſuetus, & humilis. Eſt egregia noſtri regis deſcriptio, Et planè Euangelicus rex, omnibus concußis animis.

Et cum intraſſet Hieroſolymam.] Innotuit omnibus Iudæis ne habeant excuſationem ignorantiæ. Præterea & effectus Euangelij eſt, ut primum concitet turbam in mundo, feſtinat in templum. Sumit ſibi, & proſequitur regia ſua officia. Spiritualis rex

eſt,

eſt, propterea ſpiritualem, eumq; falſum & malè deprauatum dei cultum, reſtaurare intendit.

Eijcit uendentes & ementes.] *Id eos falſo inueniſſe, & ſtatuiſſe, repete ex ueteri teſtamento,* Leuitici. Quod percutit eos, Zelus domus domini facit quod eam ſpeluncã latronũ fecerant, & latrocinium ſuũ his rebus exercuerant, ſub dei cultus prætextu. Adapta ad noſtra Papiſtica tempora. Quod autem eijcit, ſignat illum dei cultũ iam per ipſum ceſſare.

Scriptum eſt: Domus mea, &c.] Confutat eos autoritate ſcripturæ, de abuſu templi & ceremoniarum. Diſcipuli & pueri clamant Chriſto in templo: Oſianna. Defini quid ſit Oſianna. Quod ille ſit uerè ſaluator, & filius Dauid Meſsias. Hoc excæcati Phariſæi ferre non poſſunt, iubent ut diſcipulos ſuos increpet. Reſpõdet lapides clamaturos ſi hi tacuerint, adeò non poſſe opus dei occultari, & oportere Chriſtum Iudæis innoteſcere, ne habeant excuſationem, & ſi impedirentur homines, lapides clamaturos. Mirum eſt quod pueri clamant & agnoſcunt Chriſtũ, ſeniores non item: omnia ad Iudæorum dignum iudicium. Ita fit noſtro iam nouo Euangelico ſeculo.

Audis quid iſti dicunt?] Arrogas tibi hæc? ſumis tibi hæc præconia?

Nunquàm legiſtis? Ex ore infantium, &c.] Redarguit eos, et cõfirmat autoritate ſcripturæ. Hæc de Meſsia

Meſſia dicta ſunt et mihi iam exhibentur, Ego Meſſias ſum. Ita promouet dominus ſua uaticinia in Chriſto, impijs interim negligentibus & aſpernantibus. Porrò conuicti Phariſæi, nihil ea die interrogant amplius, quoniam ſingularem dei uirtutem & maieſtatem uidebant in Chriſto. Ab hinc quotidie docet & ſanat Chriſtus in templo, uerus ille doctor & ſaluator, falſis doctoribus expulſis. Contra autem ceſſant ab his Phariſæi, donec Chriſtum è medio tollant & crucifigant.

Et relictis illis abijt.] Epilogus eſt. Hæc eſt huius diei hiſtoria, in qua expleta eſt prophetia Zachariæ de Chriſto. Allegoricè, ſi uacat & uiſum fuerit, poteris obiter & breuiter perſtringere. Chriſtus nos redempturus, per uiam olíueti, hoc eſt gratiæ, uenit, mittit Apoſtolicos concionatores, allatum ad ſe aſinam & pullum, Iudæos & Gentes. Sedet & equitat in aſina, hoc eſt, ex Iudæis naſci uoluit: nam ut aſinus eſt iugale & ponderiferum animal: ita Iudæi erant ſub iugo legis. Antecedentes & ſubſequentes, ſignificant credentes, ante & poſt aduentum Chriſti. Hi Chriſtum ſuſcipiunt, prædicāt regem, filium Dauid, quæ eſt Meſſiæ periphraſis. Occinūt Oſianna triumphale & gratulatorium carmē nouo regi, quod ſoli filio Dauid Meſſiæ ſaluatori conuenit. Subſternunt ueſtimenta, corpora ſua pro Chriſto exhibent. Decorant

corant eius uiam frondibus & ramis palmarum, bonis moribus, conſtanti fide, et honeſta uita. Pueri *infantes abiectiſſimi & idiotæ coram mundo homines ſuſcipiunt, agnoſcunt, & prædicant Chriſtum.* Sa*pientes carne interim uruntur & æſtuant animo, præ nimio dolore, contemnunt & contemnentur.* Epilogus *breuiter repetit & exhortatur.*

EPISTOLA PHILIP. II.

Vt *exemplo Chriſti ſubmittamus nos & humiliter de nobis ſentiamus, qui cum eſſet* Deus, *rex regum & dominus dominantium, humilem tamē, manſuetum & ſubmiſſum ſe præbuit in terris, ut habet huius* Euangelij *prophetia ex* Zacharia.

HOc enim ſentite inter uos, quod et in Chriſto Ieſu Qui cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet ęqualis deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod deus exaltauit illum & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium,

leſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteat̃, quod dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

HAbet genera admixta Didaſcalicum, Demonſtratiuum, & Deliberatiuum.

Exordium commodius ducitur à noſtra perditione per Adam, et à reſtauratione noſtræ ſalutis per Chriſtum, pro cuius rei certificatione ſunt nobis Sacramenta relicta.

Propoſitio, de Sacramẽto corporis et ſanguinis Chriſti. Captatio beneuolentiæ, attentionis et docilitatis.

Narratio, À definitione eſſentiali. Quid eſt Sacramentum? eſt uerum corpus & ſanguis Chriſti, per uirtutem eius uerbi. Non eſt impoßibile apud deum omne uerbum: Dixit & facta ſunt. Deus ſiquidem per uerbum eſt omnipotens. Confirma à mundi creatione, mortuis ſuſcitatis, infirmis curatis &c. per ſolum uerbum.

À cauſa materiali. Panis & uinum, & uerbum Chriſti. A cauſa Formali. Corpus & ſanguis Chriſti. Duæ ſubſtantiæ in uno ſubiecto. A ſimili ut corporis & animæ unitas eſt, Sic corporis Chriſti in pane, & ſanguinis in uino eſt. A cauſa efficiente. Chriſtus ipſe, eius uerbũ omnipotens. Vis et efficatia uerbi in omnibus

nibus creaturis à condito mundo. A cauſa Finali. Ad edendum & bibendum. Ab effectu. Pro nobis datur in remiſsionem peccatorũ. Chriſtus promiſsionem æterno ſigno annectit, ut qui accedit ad ſacramentum per fidem, accipit remiſsionẽ peccatorũ. Liberatur à peccato & morte, datur gratia & uita æterna. Ab Officio. Vt memores ſimus mortis Chriſti, & gratias (unde nomen Euchariſtiæ habet) & charitatẽ exerceamus in proximos. A ſimili. Quemadmodũ dominus agnũ paſchalem inſtituerat ad memoriã redemptionis & tranſitus ex Aegypto, Sic Chriſtus ſeſe dedit in ſui memoriam: nempe nos ſua morte liberatos eſſe ab æterna morte. Et quemadmodum ſe Chriſtus nobis dat comedendũ. Sic nos totos præbeamus proximis. Et ſicut ex multis granis panis cõficitur, & ut ex multis baccis & botris uinũ confluit, Ita nos multi unũ corpus ſumus. A partibus. Verbũ & elementum, panis & uinum, corpus & ſanguis Chriſti. Ab Accidẽtibus. Fides poteſt aut adeſſe aut abeſſe, citra Sacramenti corruptionẽ. Cæterũ fides dignos, diffidentia indignos facit. Sunt & cætera accidentia, ieiunare, orare, &c. Confirmationes & amplificationes ab honeſto, Vtili, Neceſſario, Iucũdo, facili, antiquo. A Similibus. Ab exemplis ſeu figurati agni paſchalis, Serpente æneo. Ab autoritate & Sentẽtijs ſcripturæ in euangelijs, 1. Cor. 11. A Circũſtantijs. Quis, Quid,

Vbi,

Vbi, quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Ab Antitheſi, & Refutationibus errorum, & abuſuum Sacramenti. Epilogus enumerat & exhortatur.

EPISTOLA I. COR XI.

De Sacramento Euchariſtiæ.

COnuenientibus ergo uobis in unum iam non eſt dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſq; enim ſuã cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut eccleſiam dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicã uobis? Laudem uos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à domino quod et tradidi uobis, quoniam dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis frangitur. Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem poſtquám cœnauit, dicens: Hic

Hic calix nouũ teſtamentũ eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcũq; biberitis in mei commemorationem. Quotieſcũq; enim manducabitis panẽ hunc & calicem bibetis, mortem domini annũciabitis donec uenerit. Itaq; quicũq; manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim man ducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi man ducat & bibit, nõ dijudicans corpus do mini. Ideò inter uos multi infirmi et im becilles, & dormiunt multi. Quod ſi uoſmetipſos dijudicaremus, non utiq; dijudicaremur. Dum iudicamur autem à domino, corripimur ut non cum hoc mundo damnemur.

DE PASSIONE CHRISTI.

LOcus eſt Didaſcalicus de articulo fidei noſtræ. Exordium à tempore, aut unde libet. Cum locis, Beneuolentiæ, attentionis & docilitatis. Breuiter ante Narrationem perſtringes. Quid mors Chriſti.

Quæ cauſa efficiens. Adæ *lapſus, noſtra peccata. Miſericordia dei, & ueritas. Quæ cauſa finalis.* Vt *reſtitueremur in gratiam & penitus ſaluaremur. Qui effectus?* Deuincit Satanam, abolet *peccatum, extinguit infernum, legem implet, mortem aufert, tribuit iuſticiam, facit nos filios dei, & hæredes cœleſtis regni. Quæ officia?* Vt *ſibi pro tãtis beneficijs grati ſimus, credamus ſuam mortem pro nobis omnibus ſatisfacere.* Et *ut rurſum noſtra corpora pro ipſius nomine tribuamus. Singula confirma ſcripturæ locis.*

Propoſitio, *Chriſtus paſſus eſt ſecundum ſcripturas, ſub* Pontio Pilato Romano, *ablato regno* Iudæorum. *Narratio breuiter perſtringit hiſtoriam ſecundum* Euangeliſtas: *ea conſtat cœna, abitione, & captione in horto, traditione* Iudæ, *fuga diſcipulorum, negatione* Petri, *falſa accuſatione coram* Anna, Caipha, Pilato, Herode, *& rurſum* Pilato, *Suſpenſione* Iudæ, *flagellatione, coronatione, & damnatione ad crucem, Crucifixione, ſeptem uerbis* Ieſu *in cruce, ſignis mortem* Chriſti *conſecutis, & ſepultura.*

Confirmatio *à ſcripturæ & prophetarũ teſtimonijs & uaticinijs,* Pſal. 21. Eſa. 53. Zachar. 11.

Ab exemplis ſeu figuris ueteris Teſtamenti, *ab* Iſaac, Ioſeph, Agno *paſchali, ſubmerſo* Pharaone *& liberatis filijs* Iſraël. *Ab æneo ſerpente,* Dauid *cum* Goliad, Samſon *cum leone,* Gedeon *cum* Madianitis, Ionas *in* Cete.

Vſus

Vſus ſeu fructus crucis & mortis Chriſti, eſt ut credamus hæc propter nos eſſe facta, ut redimeremur & reſtitueremur in integrum. Cõſolemurq; nos in noſtra cruce per exemplum crucis Chriſti. 1. Pet. 2. & 4. ad Roman. 6.

Quoniam Chriſtus quotidie in ſuis patitur, ergo iidem adhuc reſtant perſecutores, & infirmi diſcipuli. Facilè poteris elicere qui referant Chriſtũ, Petrum, diſcipulos, Iudam, Caipham Pilatum, Herodẽ, Phariſæos, & principes populi, uulgus, Nicodemum & Ioſeph, &c.

Epilogus enumerat ſuperiora hortatur ad gratiarum actionem, imitationem, & timorem domini, poſtquàm uidemus deum patrem tam acerbè offenſum eſſe peccato, quod etiam proprio filio non pepercerit, uiridi illi ligno.

TRACTATVS PASSIONIS DOMINI NOSTRI IEſu Chriſti, iuxta ordinem hiſtoriæ, ſecundum quatuor Euangeliſtas. In genere Iudiciali.

Exordiũ paſsionis Chriſti cœpit à reſuſcitatione Lazari, unde exarſit Phariſæorum & Scribarum inuidia aduerſus Chriſtum, tantam copiam uulgi poſt ſe trahentem,

INSTABAT dies feſtus azymorum, qui dicitur paſcha. Et dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Scitis quod poſt biduum paſcha fit, & filius hominis traditur, ut crucifigatur.

Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum & Scribæ & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & concilium inierunt, ut Ieſum per dolū apprehenſum occiderent. Timebant enim plebem, Dicebant autem: Non in die feſto, ne tumultus fiat in populo.

Concilium inierunt. &c.] Tantum abfuit ut ſuſciperent deſideratiſsimum illum Meſsiam.

Vt occiderent.] Erat ſcopus & cauſa finalis, at hoc, honeſta ſpecie: nā ſectarius uidebatur eſſe Chriſtus, aduerſus Scribis & Phariſæis, ueris (ut habebantur) doctoribus.

Non in die feſto &c.] Cautio eſt. Maturemus conſilium ante paſcha, priuſquàm ocioſa multitudo conueniat, quæ ab ipſo penitus pendet, ne tumultus fiat, & ſæuiat in nos populus. Honeſta ſpecies eſt, ſed arguit eos dolo, & iniuſta cauſa occidiſſe. Interim

Chriſto

Chriſto cœna apparatur in Bethania à Simone. Mulier unguento profundens Chriſtum, refert ſuam fidem, quam Chriſtus poſtea declarat.

Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, accumbente eo, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti nardi piſticæ præcioſæ, & comminuto alabaſtro effudit illi in caput. Videntes autem quidam diſcipuli indignati ſunt, dicentes: Ad quid perditio hæc unguenti? Nam poterat hoc uendi pluris quàm trecentis denarijs ac dari pauperibus. Et fremuerunt aduerſus illam. Eo autem cognito, Ieſus ait illis: Sinite illam, quid moleſti eſtis mulieri? bonum opus operata eſt erga me. Semper enim pauperes habetis uobiſcum, & quandocunque uolueritis, poteſtis illis benefacere, me uerò nō ſemper habebitis. Quod potuit hæc fecit, præuenit ut ungeret corpus meum ad ſepulturam. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, hoc quoque, quod hęc fecit,

narrabitur in memoriam ipſius.

Ad quid perditio hæc?] *Ab inutili & prodigalitate.* Nam poterat hoc uendi.] *Correctio ab utiliori & frugaliori.* Hic Iudas *ſub pietatis ſpecie, ſuæ ſtudet auaritiæ, quod cum non ſuccedit indignabundus, furit, & meditatur aliunde quæſtum facere cum damno* Chriſti.

Semper enim pauperes habebitis &c.] Diluit *à ſua perſona, & tempore, non poteſtis mihi hoc modicum commodi fauere? Si uultis liberales eſſe in pauperes, non deerit occaſio.*

Præuenit ut ungeret *corpus meum ad ſepulturam.*] Exprimit *fidem mulieris.* Prædicabitur *hoc in uniuerſo mundo,* Hoc *malè urit* Iudam, *propterea rapitur à Satana, abit, & ſe ultro offert* Iudæis *de tradendo* Chriſto.

Intrauit autem Satanas in Iudam cui cognomen erat Iſchariotes, qui erat è numero duodecim, abijtq́; & locutus eſt cum principibus ſacerdotum & magiſtratibus, dicens: Quid uultis mihi dare, & ego uobis tradam illum? Quo audito, gauiſi ſunt, & polliciti ſunt ei, ſe daturos triginta argenteos, & ille ſpoſpondit. Et ex eo tempore quærebat, quo-

quomodo oportunè illum tradet illis ſine turba.

Quid uultis mihi dare &c.] *Quaſi proprium mancipium, & putridam mercem uenalem exponit Chriſtum, ac ſi eſſet in eius poteſtate. Meditabundos & ſecum diſputabundos Iudæos, de captione hic red dit certiores & tranquilliores.*

Et ego uobis tradam illum?] *A facili eſt, à me ſibi non cauebit, qui ſum eius diſcipulus. Apparatur Chriſto agnus paſchalis, celebris illa deſideratiſsima. & ultima cœna. Agnus referebat Chriſtũ, ergo hoc tempore erat immolandus Chriſtus.*

Cæterũ primo die azymorum in quo neceſſe erat immolari paſcha, acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum, dicẽtes: Vbi uis paremus tibi ad edendũ paſcha? Et miſit Petrũ ac Ioannẽ, dicens: Ecce introẽuntibus uobis in ciuitatẽ occurret homo quidã hydriã aquæ portans, ſequimini eũ in domũ in quã intrat, & dicetis patrifamiliâs ædiũ. Dicit tibi magiſter: Tẽpus meũ propè eſt, ubi eſt diuerſoriũ ubi paſcha cũ diſcipulis meis edã? Et ipſe oſtendet uobis cœnaculum magnum, ſtratũ & paratum, & ibi parate

nobis. Euntes autem, inuenerunt ſicut dixerat illis, et parauerunt paſcha.

Itaq; ante diem feſtum paſchæ, ſciebat Ieſus quod ueniſſet hora ipſius, ut tranſiret ex hoc mundo ad patrem, cũ dilexiſſet ſuos qui erant in mũdo, uſq; in finem dilexit eos. Et cũ ueſpera iam eſſet, uenit & accubuit cum duodecim Apoſtolis, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha comedere uobiſcũ antequam patiar. Dico enim uobis, Poſthac non edam ultra ex eo donec compleatur in regno dei. Et accepto poculo, gratias egit ac dixit: Accipite hoc & diuidite inter uos. Dico enim uobis, quod poſthac non bibam de hoc fructu uitis, donec regnum dei ueniat cũ illud bibero uobiſcum nouum, in regno patris mei.

Deſiderio deſideraui &c.] Ex *nimio adfectu noſtræ redemptionis.*

Veſcentibus autem eis, Dominus Ieſus in ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquàm gratias egiſſet, fregit,

git, deditq́; diſcipulis & ait: Accipite, comedite, hoc eſt, corpus meum quod pro uobis datur, Hoc facite in mei recordationem Similiter et calicem poſtquàm cænauit, accepit, & gratijs actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hoc poculum nouum teſtamētum eſt in meo ſanguine, qui pro uobis & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite, quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem. Et biberunt ex eo omnes.

Veteri Teſtamento expleto, Nouū inſtituit. Agno paſchali abſumpto, ſeſe dat comedendum & bibendum uerum ſuum corpus et ſanguinem, ſub pane & uino in remiſsionem peccatorum.

Et cū eſſet cœna facta, cū diabolus iā immiſiſſet in cor Iudæ Simonis Iſchariotis, ut proderet eū, ſciens Ieſus quod omnia dediſſet ſibi pater in manus, & quod à deo exiſſet, & ad deum iret: ſurgit à cœna & ponit ueſtimenta, & cum accepiſſet linteū, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare

 pedes

pedes diſcipulorum ſuorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrũ, & dicit ei Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Reſpondit Ieſus dixit ei: Quod ego facio tu neſcis nunc, ſcies aut poſtea. Dicit ei Petrus: Non lauabis meos pedes in æternum. Reſpondit ei Ieſus, Si non lauero te, non habebis partem mecũ. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes, ſed & manus & caput. Dicit ei Ieſus: Qui lotus eſt, non opus habet niſi ut pedes lauet, ſed eſt mundus totus, Et uos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet qui proderet ſe. Propterea dixit: non eſtis mundi omnes.

Ponit ueſtimenta, &c.] *Vt nos ueſtiret. Item. lauat noſtras ſordes. Lauare pedes, eſt mundare adfectus.*

Non lauabis meos pedes &c.] *Extenuatio Petri, non temeritas aut præfracta mens eſt. Non habent partem regni dei, niſi fuerint loti à Chriſto. Mundi ſumus per fidem, ſed ſubinde purgandi ſunt adfectus.*

Poſt-

Poſtquàm ergo lauiſſet pedes eorũ, receptisq́ ueſtibus ſuis accubuiſſet, iterũ dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magiſtrũ ac dominũ, & benedicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes ueſtros, dominus & magiſter, uos quoq; debetis inuicem alij aliorum lauare pedes. Exemplũ enim præbui uobis, ut quemadmodũ ego feci uobis, ita & uos faciatis. Amen amen dico uobis, nõ eſt ſeruus maior domino ſuo, neq; legatus maior eſt eo qui legauit ipſum. Si hæc nouiſtis, beati eſtis ſi feceritis ea. Non de omnibus uobis loquor, ego ſcio quos elegerim. Sed ut adimpleatur ſcriptura. Qui edit mecum panem, ſuſtulit aduerſum me calcaneum ſuum. Nunc dico uobis priuſquam fiat, ut cum factũ fuerit credatis quod ego ſum. Amen amẽ dico uobis, qui recipit quemcunq; miſero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eũ qui me miſit.

Poſtquàm ergo lauiſſet &c.] Chriſtus, poſtquã nos lauit, recepit ueſtimenta ſua, poſita mortalitate induit immortalitatem.

Scitis

Scitis quid fecerim uobis &c.] *Indicat, quid ea lotione ſignificatum uelit.*

Si ergo ego &c. Dominus et magiſter ueſter &c.] *Exemplum à maiore.*

Cum hæc dixiſſet Ieſus turbatus eſt ſpiritu, & accumbentibus, edentibusq́ illis, teſtatus eſt, dicens: Amen amen dico uobis, quod unus ex uobis me proditurus eſt qui edit mecū. Mœſti ergo uehementer redditi, aſpiciebant ſe inuicem diſcipuli hæſitantes de quo diceret. Et cœperunt quęrere inter ſe, quiſnam eſſet ex ipſis, qui hoc facturus eſſet, ac ſingulatim ei dicunt: Nunquid ego ſum domine? At ille reſpondens ait: Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in catinum, me proditurus eſt. Filius quidem hominis uadit ſicut ſcriptum eſt de illo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis proditur, bonum erat ei, ſi natus nō fuiſſet homo ille. Reſpondens autē Iudas qui tradidit eum dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti. Erat autem

unus

unus ex diſcipulis Ieſu recumbens in ſinu ipſius: nimirum is quem diligebat Ieſus, innuit ergo huic Simon Petrus, ut ſciſcitaretur quis eſſet, de quo loque retur. Itaq; cũ recubuiſſet ille ſuper pectus Ieſu, dicit ei: Domine quis eſt? Reſpondet Ieſus, ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cũ intinxiſſet panem dedit Iudę Simonis Iſchariotæ. Et poſt offulam ingreſſus eſt in eum Satanas. Dicit ergo Ieſus: Quod facis fac citius. Hoc autem nemo intelligebat diſcumbentium ad quid dixiſſet ei. Quidam enim putabant, quia loculos habe bat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus: eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtũ, aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepiſſet ille offulam, exiuit continuo. Erat autem nox.

Vnus ex uobis &c.] Id *eſt, unus ex uobis deditiſsimis meis diſcipulis, non ex Phariſæis aliquis.*

Tradet me.] Emphaticum *pathos eſt.*

Ac ſingulatim ei dicunt: Nunquid] *Diffidebant ſibiipſis, & uoluerunt reddi certiores de ſeipſis, ut mutarent*

mutarent propoſitum. Oportet quidem filium homi nis tradi, idq́; per homines, ſed propterea non ſunt excuſati, quod dei opus urgent & perficiunt. Dominus creauit ipſum ad diem malum.

Bonum erat ei &c.] *Satis admonet Iudam, ne habeat erroris excuſationem. Hinc elici poteſt, quo cõſilio Iudas Chriſtum ſecutus ſit: nempè ut bene uiueret ſecundum carnem in ocio. Iam cum non uidet ſuccedere, deficit ad Phariſæos.*

Cui ego intinctum panem porrexero.] *À ſignis. Dedit bucellam Iudæ: ergo Iudas traditor eſt.*

Quod facis fac citius.] *Poſtquàm non uis reſipiſcere ſatis admonitus, nec mutare propoſitum, tantum matura factum, ſum paratus.*

Erat autem nox.] *Relatione temporis & Iudæ. Quare diſcipuli non prohibuerunt Iudam? Euangeliſtæ excuſant ignorantiam.*

Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur eſſe maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici uocantur. Vos aũt non ſic, ſed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut minor, & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat. Nam uter maior eſt, qui accum-

accumbit, an qui miniſtrat? At ego in in medio ueſtrũ ſum, ut qui miniſtrat. Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis. Et ego diſpono uobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnũ, ut edatis et bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicãtes XII. tribus Iſraël.

Contentionem diſcipulorũ de ambitione et præcellentia, familiariter corrigit Chriſtus, à diſsimili, & ſuo exemplo probat. Traditore diſceſſo, familiariter loquitur Chriſtus cum diſcipulis, de ſuis ipſorumq́; rebus.

Vos permanſiſtis mecum.] Propterea & gloriæ regni mecum participes eritis. Rom. 8. Si compatimur, & conregnabimus.

Ait autem Ieſus: Nunc glorificatus eſt filius hominis, & Deus glorificatus eſt per eum. Si Deus glorificatus eſt per eum, & Deus glorificabit eum per ſe, & continuo glorificabit eum. Filioli, adhuc pauliſper uobiſcum ſum, quęretis me, ſicut dixi Iudæis, quò ego uado uos non poteſtis uenire: ita & uobis

bis dico nunc. Præceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, ſicut dilexit uos, ut & uos diligatis inuicem: in hoc cognoſcent omnes quod mei diſcipuli ſitis, ſi charitatem habueritis inter uos mutuam. Dicit ei Simon Petrus: Domine quò uadis? Reſpondit ei Ieſus. Quò ego uado nō potes me nūc ſequi, ſequeris autem poſtea. Dicit ei Petrus: quare non poſſum te ſequi nunc? animam meam pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus: Animam tuam pro me pones? Simon Simon, ecce Satanas expetiuit uos ut cribraret ſicut triticum, ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. At ille dixit ei: Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit: Amen amen dico tibi Petre, nō canet hodie gallus, priuſquā ter abneges te noſſe me. Et dixit eis: Quando miſi uos ſine ſacculo & pera & calciamentis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo

eis:

eis: Sed nunc qui habet ſacculum tollat ſimiliter & peram: & qui nõ habet, uendat tunicam ſuam & emat gladium. Dico enim uobis, quod adhuc hoc quod ſcriptum eſt oportet perfici in me. Et cum iniquis deputatus eſt: etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis eſt

Nunc glorificatus.] Iam properat & maturat mea glorificatio per crucem. Iudas iam propoſitum ſuum urget.

Quo ego uado &c.] Obiter aßignat ſuã paßionem. Sequeris autem poſtea.] Significans Petro *crucem olim ferendam.* Petrus *inquit, ſequar, te non deſeram. Animam meam.] Eſt carnalis præſumptio, & tamen beneuolus adfectus* Petri.

Animam tuam.] Diluit, eleuat Chriſtus Petri *præſumptionem, repetitis uerbis per* Erotema. *Non cantabit gallus ter, quin ter me negaueris, tantum abeſt, ut animam pro me ponas, aut moriaris.*

Ecce Satanas expetiuit.] *Non tantum nocet fidelibus, niſi admittatur.*

Domine &c.] Perſtat ſua præſumptione Petrus. *Amarum quippè eſt ſe fore incõſtantem deſertorem,*

m &

& adeò negatorem. Sunt uerba Petri nimij ardoris erga Chriſtum.

Non canet hodie gallus.] *Diluit, refutat & repetit ſuperiora Chriſtus, indicans inconſtantiam carnis in cruce, etiamſi ualde præſumat. Hic locus docet nos timorem Domini & orationem.*

Quando miſi uos &c.] *Hactenus nihil defuit uobis, nihil fuit periculi & belli, iam qui habet duas tunicas, uendat unam & emat gladium, iam neceſſe eſt bellare. Princeps mundi cum ſuis ſatellitibus adorietur nos.* *Domine, ecce duo gladij hic.*] *Syncera promptitudo eſt, aliter intelligunt, atq; Chriſtus putat. Iam ſequitur longa & familiaris illa cõcio Chriſti, qua conſolatur & præmunit ſuorum animos de cruce, & gloria. Dat præceptum ſuum nouum, & ſubinde diligenter repetit de mutua dilectione &c. Ioan. 14. 15. 16. 17.*

Et ait diſcipulis ſuis: Ne turbetur cor ueſtrum. Creditis in deum & in me credite. In domo patris mei mãſiones multæ ſunt. Quod ſi ſecus eſſet, dixiſſem uobis, uado paraturus uobis locum. Et ſi abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & aſſumam uos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & uos ſitis &c.

ET cũ hymnũ ceciniſſent, egreſſus, Ieſus ibat, ut ſolitus erat, trans torrentem Cedron in montem oliuarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli. Tunc dicit illis: Omnes uos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorẽ & diſpergentur oues gregis. Poſtquàm autem ſurrexero, præcedam uos in Galileam. Reſpondens autem Petrus ait illi: Et ſi omnes ſcandalũ paſſi fuerint in te, ego tamẽ nunquam ſcandalum patiar. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi quod hodie in nocte hac, priuſquàm bis gallus cecinerit, ter abnegabis me. At ille uehementius dicebat: Imò ſi me oportuit cõmori tibi, non te abnegabo. Similiter autem & omnes diſcipuli dicebant.

Et *cum hymnũ.*] *Hymno dicto, ſeu gratijs actis, abijt cum diſcipulis, de more, trans torrentem Cedron, in montem oliuarum, ubi erat hortus.*

Omnes uos ſcandalum.] *Verum præmonet eos offenſionis & defectus, idq́; confirmat autoritate uaticinij Zacha. 13. ſcilicet, ſic eſſe ex conſilio patris.*

Et ſi omnes ſcandalum.] *Admittit offenſionem fore in alijs, in ſe non item, eſt ſibi confidentior.* Non *patitur* Petrus Chriſtum *uera prædicere, adeoq́; de ſe dictum eſſe ideò temerè præſumit, & cadit.*

Tunc uenit Ieſus cum illis in uillam quæ dicitur Gethſemani, ubi erat hortus in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius. Nouerat autem & Iudas proditor eius, locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Tunc Ieſus ait illis: Sedete hic, donec uadam & orem illic. Et aſſumpto ſecum Petro & Iacobo & Ioanne duobus filijs Zebedæi, cœpit expaueſcere, dolere & grauiter angi. Et dicit illis: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem. Manete hic et uigilate mecum, orantes ne intretis in tentationem. Et progreſſus puſillum ab eis fermè ad iactum lapidis, poſitisq; genibus, procidit in faciem ſuam proſtratus in terram, & orauit, ut ſi poſſibilis eſſet, tranſiret à ſe hora, dicens: Abba pater mi, omnia poſſibilia ſunt tibi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, uerun-

ueruntamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Et uenit ad diſcipulos & reperit eos dormientes, & dicit Petro: Simon dormis? Adeò non potuiſtis una hora uigilare mecum? Vigilate & orate ut ne intretis in tentationẽ. Spiritus quidẽ promptus eſt, ſed caro infirma. Rurſus altera uice abijt & orauit, dicens: Pater mi, ſi nòn poteſt hic calix tranſire à me niſi bibam illum, fiat uoluntas tua. Et reuerſus inuenit illos iterum dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, neq; ſciebant quid reſponderent. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertio eundem ſermonẽ, dicens: Pater, ſi uis transfer calicem hũc á me, ueruntamen non mea uoluntas, tua fiat &c.

Ibi erat hortus &c.] *Abijt in hortum Chriſtus, ut inde ſalus exordiretur, unde tranſgreßio & damnatio cœpit. Non abſtrudit ſe Chriſtus, cum ſcit ſuam horam ueniſſe, ſed in cœnæ cognitum, frequentemq; locum abijt.*

Triſtis eſt anima &c.] *Pathetica exclamatio eſt anguſtiatæ animæ, non poſſum eſſe triſtior etiam in morte. Contra eos qui leui de cauſa & aduerſitate*

mortem expetunt: aut cum benè illis eſt, & à morte ſunt procul, mortem ſe non reformidare iactant.

Vſq; ad mortem.] Hic primũ cœpit mortis horror uerſari ob oculos: propterea abit & orat.

Abba pater mi.] Captatio beneuolentiæ eſt.

Si poßibile eſt.] Oratio conditionalis eſt.

Veruntamen &c.] Correctio eſt ſui, Nolo ut meæ orationis cauſa mutes propoſitũ. Ego meas partes ago, in anguſtia mea ad te clamo. Id ſecundo & tertio facit, non deſiſtit ab oratione, ſignificans rem eſſe ſibi ſeriam. Nihil tamen reſponſi, & conſolationis conſequitur, neq; exauditur. Apud patrem nihil ſpei reliquum eſt de hac re. Redit ad diſcipulos, ut ab his demum aliquid ſolatij cõſequatur, dormiunt, nihil uidet præſidij, & conſolationis à Deo, & hominibus deſolatus eſt, hoc eſt, extremæ anguſtiæ, & tentationis. Hinc erumpit ſanguineus ſudor, quod ſignat extremũ horrorem. Quoniam ſuſcepit toties mundi delicta, ſeriam dei iram ſentit, & æternam maledictionem, unde dominus faciem ſuam planè auertit, uidetq́; inimicorum ingentem copiam aduentare.

Simon dormis?] Vbi iam eſt egregia illa tua præſtantia? Vel. Iudam non uides? Ab exemplo contrario. Iudas uigilat ut perdat me, tu dormis, qui me defenderes.

Vigilate & orate &c.] Ea eſt piorum ſacra anchora

chora, in ſummis anguſtijs, Quaſi dicat: Ego iam ſatis experior quid ſit tentatio.

Spiritus quidem promptus eſt. Caro autem mortem & iudicium dei abhorret.

Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum. Et correptus ſudore prolixius orabat. Et erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram. Et cum ſurrexiſſet à deprecatione, ueniſſetq́ ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ mœſtitudine. Et ait illis: Dormite poſthac & requieſcite, quid dormitis? ſufficit. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradit, orate autem ne intretis in tentationem.

Apparuit autem illi angelus.] Non ſinit deus tentari ſuos ſupra quàm ferre poſſunt. Pater interim tamen uidetur aduerſus & inflexus. Angelus confortat eum, ergo inferior factus eſt angelis.

Dormite poſthac.] Ironica permiſſio eſt, quaſi ab importuno. Dormite ſcilicet, cum maximè uigilandum eſt.

Surgite eamus.] *Scilicet illis obuiam.* Non conij- *cit ſe in periculum, ſed cũ uidet non poſſe aliter fieri ultroneum ſe offert.*

Et continuo adhuc eo loquente, ecce Iudas unus è duodecim, accepta cohorte & miniſtris à pontificibus ac pharisæis & ſenioribus et ſcribis, antecedens turbam multam, uenit illuc cum laternis ac facibus, cum gladijs & fuſtibus. Dederat autem hic proditor cõmune ſignum illis, dicens: Quemcunq; oſculatus fuero is eſt, comprehendite illum, & abducite cautè. Ieſus itaq; ſciens omnia quæ uentura erant ſuper ſe, proceſſit ac dixit eis: Quẽ quæritis? Reſponderunt ei Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum cum ipſis, Vt ergo dixit eis: ego ſum, abierunt retrorſum, & cæciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus. Dixi uobis quod ego ſim. Si ergo me quæritis ſinite hos abire,

re, ut impleretur ſermo quem dixerat: Ex ijs quos dediſti mihi non perdidi quenquam. Et appropinquauit Ieſu Iu das, ut oſcularetur eum, Cõfeſtimq́ꝫ accedens, dixit: Rabbi aue ac deoſculatus eum. Dixitq́ꝫ illi Ieſus: Amice, ad quid ades Iuda oſculo filiũ hominis prodis? Tunc acceſſerunt & manus ſuas iniecerunt in Ieſum, & comprehenderunt eum. Videntes autẽ ij qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutiemus ne gladio? Simõ ergo Petrus cum haberet gladium, edu xit eum, & percuſſit ſummi ſacerdotis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo Mal chus. Reſpondens autem Ieſus, ait: Sinite hucuſq́ꝫ. Et ait Petro: Immitte gladium tuum in uaginam. Omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. An putas quod non poſſum nunc roga re patrẽ meum, & exhibebit mihi pluſquàm duodecim legiones angelorum? An non bibam calicem quẽ dedit mihi

pater? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri. Et cum tetigiſſet auriculam ſerui ſanauit eum. In illa autē hora dixit Ieſus ad eos qui uenerant ad ſe, principes ſacerdotū & magiſtratus templi & ſeniores: Tanq̃ ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus ad comprehendendum me, quotidie apud uos ſedebam docens in templo, & non extendiſtis in me manus. Sed hæc eſt hora illa ueſtra & poteſtas tenebrarum, ut impleantur ſcripturæ. Hoc aūt totū factum eſt ut cōplerentur ſcripturæ prophetarū. Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugierunt. Et unuſquiſpiam adoleſcentulus ſequebatur illum, amictus ſindone ſuper nudū et cō prehendūt illū adoleſcentuli. Ille uerò relicta ſindone nudus effugit ab illis.

Quem quæritis?] *Voluit palam ipſorum negocium audire.* Ego *ſum.*] *Non negat ſe.*

Et *ceciderunt.*] *Ad nomen Chriſti impij ruunt, pij reſurgunt. Nam poſitus eſt in ruinam & reſurrectionē multorū. Atq; hoc facto ſatis admonet eos, ne temerè*

temerè quid faciant: Nam *uerbo tantã copiam proſternere, non eſt humanarum uirium, ſed diuinæ potentiæ.* Sinite *hos abire.*] Me *ſolum oportet pati, ego mihi ſoli ſumpſi hoc negocium, et ne quis pereat quos mihi commendauit pater.*

Amice.] *Adhuc admonet eum, ne quid temerè faciat, & imprudens ruat.*

Iuda.] Iudas *tradit* Chriſtum *oſculo.* Eſt *factum ſceleratiſsimi & illiberatiſsimi hominis, quaſi dicat:* Quid *peius facere poſſes.*

Oculo *filium?*] Hæc *pungunt conſcientiam.* Sic *hodie omnes impij ſub bono prætextu uideri uolunt deo optime uelle: interim tamen tradunt, perſequuntur, & extinguere nituntur dei uerbum, eiusq́; profeſſores.* Simon *ergo.*] Petrus *temerè gladium ſumit,* Chriſtus, *corripit: ſcilicet ſe, eiusq́; uerbum non defendendum eſſe gladio & ui.*

Omnes *enim.*] Scilicet *abſq; magiſtratus iuſſu, gladio pereunt.* Confirmat *ſententiam,* Deus *te non conſtituit uindicatorem meum.* Ipſe *uindicabit & ultor exiſtet,* Deut. 18.

An *putas.*] Confirmat *ita deum uelle.* Nam *ſi uoluerit, non permittet, certè defendere me etiam duodecim legionibus angelorum.* Vis *ne tu impletionem ſcripturæ impedire?* Vis *ne tu calicem meum & ſalutem hominum prohibere?* Ab *inhoneſto, inutili & temeritate.*

Et

Et cum tetigiſſet auriculam &c.] Pro maleficio beneficium reddit.

Tanquam ad latronem.] *Ab indecoro & non neceſſario.* Nõ eſſet opus ita uos armis inſtructos me capere quaſi latronem, qui præſens quotidie adfui inermis, docens in templo. Taxat eos dolo, & non iuſta cauſa rem agere.

Sed hæc eſt hora illa ueſtra.] Permiſſio & correctio ſui. Hactenus non fuit uobis liberum & conceſſum, iam hora ueſtra eſt, iam permiſſum eſt, exercete iam uim, explete iam ueſtram libidinem.

Poteſtas tenebrarum.] Eſt craſſa illa ignorantia & excæcatio Iudæorum de Ieſu Chriſto. De qua Eſaiæ 6. Excæca cor populi huius &c. & iam uim exercet in Iudæis cõtra Chriſtũ. Significat nihil poſſe mali pijs contingere ante horam quam conceßit pater. Huc reſpicit illud Ioannis 8. cum uolebat ipſum lapidare, & euanuit, quia non uenit eius hora: iam autem uenit: Eſt ergo hora ſeu tempus, nocendi pijs.

Tunc diſcipuli.] Ea eſt conſtantia carnis in cruce. Huc ſpectat illud Zacha. 13. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.

Cohors igitur & tribunus ac miniſtri Iudæorum comprehenſum Ieſum ligauerunt, & abduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim ſocer Caiphę qui

qui erat pontifex anni illius. Erat autẽ Caiphas is qui conſiliũ dederat Iudæis, quod expediret unum hominem mori pro populo. Et duxerunt eum ad Caipham pontificem, id eſt, principem ſacerdotum, ubi ſcribæ & ſeniores conuenerant. Sequebatur autem Ieſum eminus Simon Petrus, & alius diſcipulus uſq; ad atriũ pontificis. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, et introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtiũ foris. Exiuit ergo diſcipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrũ. Ancilla ergo oſtiaria ad lumen Petrum intuita, defixis in illũ oculi, dixit: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? At ille abnegauit coram omnibus, dicens: Mulier, non ſum, non noui illum, neq; ſcio quod dicas. Stabant autem ſerui & miniſtri qui prunas cõgeſſerant in medio aulæ, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis & Petrus

ſtans

ſtans & calefaciens ſe. Et exiuit foras in ueſtibulum & gallus cecinit. Abduxerunt eum ad Hannam.

Nam ab ingreſſu erat proximus & ſenior. Hic *Petrus primum de Ieſu interrogatus, negat.*

Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis & doctrina ipſius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo quo omnes, Iudęi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quod locutus ſim ipſis. Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorũ dedit alapam Ieſu, dicens: Siccine reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum teſtare de malo, ſin bene cur me cędis? Miſſerat eum Annas uinctum ad Caipham pontificem. Stabat aũt Simon Petrus in ueſtibulo & calefaciebat ſe. Et puſillum poſt primam negationem, uidit eum altera ancilla, & rurſum cœpit dicere

cere ꝭs qui aſtabant ibi. Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Dicunt ergo ei: Num et tu ex diſcipulis eius es? Et alius dixit, & tu de illis es. Et iterum negauit cum iure iurando, dicens: Homo, non ſum, ſed neq; noui hominem. Et poſt puſillum, interuallo intericcto ferè unius horæ, alius quidam affirmabat cum ꝭs qui aſtabant, dicens: Verè & tu ex illis es. Nam & Galilæus es, & loquela tua te manifeſtum facit. Dicit ei unus ex ſeruis pontificis, cognotus eius cuius abſcidit Petrus auriculam. Nónne ego te uidi in horto cum illo? Tunc cœpit execrari ac deierare. Non noui hominem iſtum, de quo dicitis. Et cōtinuo adhuc illo loquente, gallus iterum cecinit. Et conuerſus dominus intuitus eſt Petrū. Et recordatus eſt Petrus uerbi domini Ieſu, quod dixerat ei, priuſquam gallus cecinerit bis ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amarè.

Chriſtus interrogatur de diſcipulis & doctrina: nā Annas ſibi arrogat iudiciū & autoritatem doctrinæ ab

ab officio. Chriſtus de diſcipulis deſertoribus, cũ bene loqui non poſſet, nec malè locutus eſt, tacuit potius. Magis placet tamẽ ipſum ironicè interrogaſſe: ubi eſt iam ingens illa copia diſcipulorum tuorum, quam pone traxiſti? Nam nouus es doctor, quid doces? quæ iſta eſt tua egregia doctrina, poſtquàm ita curſitat populus? Nos ſumus deſignati ſcripturæ doctores, quis te deſignauit? unde tu tibi hoc munus arrogas? Videtur hæc ſanè ſatis iuſta interrogatio. De doctrina reſpondet & cæditur in faciem.

Interroga eos.] Nolo *eſſe preco meæ doctrinæ. Si bona eſt, auditores mei bene de ea loquentur. Scitè reſpõdet, & remouet à ſe, & penitus præcidit. Annæ latius interrogandi occaſionem.*

Sic reſpondes Pontifici?] *Videtur crimen læſæ maieſtatis, ita conſtanter & nõ ſupplicatoriè, & reuerenter reſpondere, præſertim Pontifici, tam excellenti perſonæ & uiro.*

Quid me cædis?] *Chriſtus ad illatam iniuriam non tacet, ſed defendit ſe: ne putet aduerſarius iure feciſſe. Innocentiam licet aßignare, & ſuam cauſam defendere, referire, non licet. Non eſt hic locus aduerſus illi: Qui te percuſſerit in maxillam unam, obuerte illi & alteram. Chriſtus non tantum maxillam, ſed totum corpus male tractandũ dedit. Annas, quoniam nihil aduerſus Chriſtum potuit, miſit ad Caipham, ut*

qui

qui erat eius anni pontifex, ubi erat totum conciliabulum ueteratorum. Hic Petrus *ſecundo et tertio de* Ieſu *interrogatus, negat, pernegat cum execratione & iuramento, ubi uidere poteris carnis imbecillitatem, & inconſtantiam in tentatione et cruce, etiamſi egregiè præſumas.*

Continuo *gallus cantauit.*] Non *fallunt uerba* Chriſti, *hinc commune fit* Petrus *& recordatur uerbum* Ieſu *eſſe uerum.* Interim *dum* Petrus *tam cōſtanter & impudenter negat, reſpicit eū* Chriſtus, *quod quidem eſt ſignū gratiæ & admonitionis.* Galli *cantus & reſpectus* Chriſti, *uox legis &* Euangelij, *admonent nos noſtri delicti & pœnitentiæ.* Multi *imitantur* Petrum *negatione.*

Fleuit *amarè.*] Ergo *pœnituit, & gratiam adeptus eſt.* Petrus *pro exemplo & conſolatione eſt omnibus grauiter lapſis: non tamen ex animo præfracto, ſed ex imbecillitate carnis & horrore crucis.* Horrendum *eſt,* Chriſtum *eiuſq; uerbum negare ad extremum uſq;, etiam iureiurando.* Non *tamen reijcit eos dominus, modo pœniteant.* Non *pœnitemus niſi cantet gallus, & reſpiciat nos* Chriſtus.

Principes autem Sacerdotum & Seniores, & totum conſilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut morti eum traderent, & non inueniebant,

bant, etiam cum multi falſi teſtes acceſſiſſent: non enim erant ſatis idonea teſtimonia. Nouiſſimè autem uenerunt duo falſi teſtes, & teſtimonium falſum ferebant aduerſus illum, dicentes: Nos audiuimus eum dicẽtem: Ego poſſum diruere & diruam templum hoc Dei, quod eſt manibus factum, et tribus diebus aliud ſine manibus factũ extruam. Et ne ſic quidem ſatis idonea erant teſtimonia illorum. Et ſurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogabat Ieſum, dicens: Nihil reſpondes? Cur iſti aduerſum te dicunt teſtimonia? Ieſus autem tacebat, neq; quicquam reſpondebat. Rurſus princeps ſacerdotum interrogauit & dicit illi: Tu es ille Chriſtus filius benedicti? Adiuro te per deum uiuũ, ut dicas nobis an tu ſis Chriſtus filius dei. Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti, ego ſum. Verumtamen dico uobis. Amodo uidebitis filiũ hominis ſedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Tunc princeps ſacerdotum

tum diſcidit ueſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit, quid inſuper egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius, quid uobis uidetur? Illi uerò omnes condemnauerunt eum, dicentes: Reus eſt mortis. Tunc uiri qui tenebãt Ieſum, illudentes ei, expuerũt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt. Alij uerò cum obtexiſſent faciem illius, palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Vaticinare nobis Chriſte, quis eſt ille qui te percuſſit? Et alia multa conuicíantes, dicebant in eum.

Quærebant falſum teſtimonium.] *Ergo iure occidere non poterant. Quæſitus nihil reſpondet ad inſignia mendacia.*

Adiuro te.] *Non hoc fecit ut fieret de Chriſto certior, ſed ut extorqueret tandem reſponſum & raperet occaſionem accuſandi. Chriſtus adiuratus, teſtatur ueritatem ſe eſſe Meßiam filium dei, etiam ſi ſcit eos non fore emendatiores, uiderint ipſi.*

Blaſphemauit.] *Arrogat ſibi dei honorẽ, appellat ſe Meßiam, filiũ dei, ergo reus eſt mortis. Hinc à ſatellitibus, uelo ligatis oculis, conſpuitur, cæditur in faciem. Omnia tamen ex patris conſilio, & uaticinij prophetarũ. Prophetiza.*] *Amarus Sarcaſmus eſt.*

Mane autem facto, conuenerunt omnes principes ſacerdotũ & ſcribæ, ſenioresq́ populi ac totum cõſilium aduerſus Ieſum, ut eum morti traderent. Et duxerunt eum in concilium ſuum, dicentes: Num tu es ille Chriſtus? Dic nobis. Et ait illis: Si uobis dixero non creditis, quod ſi etiam interrogauero, non reſpondebitis mihi, neq́ dimittetis. Ex hoc tempore erit filius hominis ſedens à dextris uirtutis dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis me eſſe. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus ex ore eius. Et ſurgẽs uniuerſa multitudo eorum, uinctum abduxit Ieſum à Caipha in prætorium, tradiditq́ Pontio Pilato præſidi.

Mane inito conſilio à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi, Chriſtus iterum interrogatur, an ſit ipſe Meßias: quoniam iam uulgo rumor ex rebus geſtis increbreſcebat. Aut potius aduocatis ſenioribus populi, ut audirent ipſi, & teſtarentur eius blaſphe-

blaſphemiam, & dignum morte iudicarent, tanto maiore illis cum iudicio.

Si es Meßias.] *Familiariter, & doloſe tamen interrogant.*

Si dixero non creditis &c. Si interrogauero uos ex ſcripturis de Meßia, & cõuicero uos, non reſpondebitis, nihil proficitur uobiſcum, præfracti eſtis, nihil niſi mortem meam captatis. Interrogatus tamen, rem ipſam dicam, ne habeatis ignorantiæ excuſationem. Ab his uidebitis filium.] *Periphraſi, ſe eſſe Meßiam declarat. Filium hominis appellat ſe, ab extenuatione, ſcilicet quem uos iam uilem hominem æſtimatis, ſedebit olim in nubibus ſeuerus iudex. Ab his conſuluiſſent ſcripturas, ſi ſaperent & rẽ non exiſtimaſſent uilem. Sed ſcandalizati tenuitate perſonæ & fortunæ, excæcati ſunt, & expectatum illum Meßiam turpiter reijciunt.* Horrendum exemplum *cæcitatis rationis.*

Quid egemus teſtibus? audiuimus ipſi.] *Furibundo & præcipitato animo, ut blaſphemum condemnant, & mortis reum iudicant: propterea ad* Pilatum, *ut qui extremam mortis ſententiam diceret ducunt.* Interim *Iudas uidet rem deſperatam, ſuſpendit ſe, ergo deſperat & damnatur. Summum peccatum eſt diffidentia & deſperatio miſericordiæ dei. Legem ſentit, Euangelium non aſſequitur.*

Tunc uidens Iudas, qui eum tradiderat quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, et ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem innoxium. At illi dixerũt: Quid ad nos? Tu uidebis: Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Suſpenſus autem crepuit medius, & effuſa ſunt omnia uiſcera eius. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in carbonam, quia precium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis argenteis mercede iniquitatis, agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymæ, ita ut appellaretur ager ille, lingua illis uernacula Akeldama, hoc eſt, ager ſanguinis uſq; in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictũ eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, præcium æſtimati,
quem

quem æſtimatū emerunt à filijs Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi dominus.

Retulit pecuniam.] *Proijcit ad pedes ſacerdotum, pœnitens facti, inquit: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. Teſtimonium perhibet innocētiæ Chriſti. Malè pœnitet, iam toties & tam familiariter diſſuaſus, & admonitus.*

Quid ad nos.] *Translatio criminis eſt, & ſecuritas de iudicio dei. Tu accepta pecunia tradidiſti, ergo uideris. Vt confitetur, ita abſoluitur. Omnia faciunt ad deſperationem.*

Non decet mittere in carbonam.] *Quia preciū ſanguinis eſt. Hypocriſis eſt impiorum.*

Agrum figuli emunt.] *Vt impleretur ſcriptura Zachariæ 11. cap. Ita dominus ſua cōſilia agit, etiam per malos, ipſiſq; ignorantibus.*

Mane igitur, adducto Ieſu ad præſidem, ipſi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed ut ederent paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem adfertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic nocens, haud quaquàm tibi tradidiſſe-

didiſſemus eũ. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & ſecundum legem ueſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

Mane igitur adducto &c.] *Chriſtus conuictus falſis teſtibus ut blaſphemus adducitur ad Pilatum, ut ſententiam mortis diceret. Pilatus Romanus & gentilis, ius dicit in regno Iudaico, ergo à Iudæis translatum eſt, iuxta prophetiam Iacob, quæ eos ſatis admonuiſſet temporis Meſſiæ. Iudæi non intrant domum Pilati, ne contaminentur ad eſum paſchæ, Culicē colant, & Camelum deglutiunt. Peccatum æſtimant, gentilis domum ingredi: occidere autem innocentem Chriſtum, peccatum non æſtimant, imò obſequium deo, Leui. 24. blaſphemum ne patiaris uiuere. Pilatus egreditur, quærit accuſationis cauſam, & rationem delicti, ut inde poſſet ius dicere. Eſt decorum iudicis.* *Niſi hic eſſet malefactor &c.*] *Ironicè diluunt à collectione, quaſi dicerent: quid opus eſt de cauſa interrogare facilè colligere poſsis, cum hunc adducimus, neceſſe eſt reum eſſe, aliâs haud dubiè adduceremus nos integri, ſancti, & ſine dolo uiri.*

Accipite

Accipite eum uos &c.] *Scitis eum maleficum, & contra legem ueſtram peccaſſe, nec uultis dicere cauſam ſecundum quam poſſem iudicare*, Ergo *iudicate eum uos, ſecundum legem ueſtram.* Ego *non legis ueſtræ, ſed Cæſaris iudicia ago, non ſcio legum ueſtrarum rationem, non ſum lege ueſtra doctus.* Remouet *à ſe.*

Nobis *non licet.*] Dilutio. *Iudicium noſtrum ablatum eſt, Cæſar ſibi uindicat, tu Cæſaris locum ſuſtines, ergo iudica & interfice, & ut ſcias cauſas.* Ecce *accuſamus eum. Seditioſus eſt, commouit uulgus à* Galilæa *uſq; huc.* Aduerſus *eſt magiſtratui, prohibet dare cenſum Cæſari, nominat ſe filium dei, blaſphemus eſt, nominat ſe regẽ* Iudæorũ *opponit ſe Cæſari.*

Hic *ſtatus eſt cauſæ* Iudicialis, *& tamen mentitur omnia: nam non commouit uulgus, ſed docuit & ſanauit.* Iuſ*ſit dare Cæſari, etc. fugiebat, cum uolebant ipſum regem facere.* Sed *filium dei eſſe non mentitus eſt, opera ipſa teſtabantur, et multa alia argumenta.*

Cœperunt autẽ illum accuſare ſummi ſacerdotes, & ſeniores de multis, dicentes: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtũ regem eſſe. Introiuit ergo iterum in prætoriũ

Pilatus,& uocans Ieſum interrogauit eum, dicens: Tu es ille rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus ſtans ante eum: Tu dicis. A temetipſo hoc tu dicis, an alij dixerunt tibi de me? Reſpondit Pilatus. Nũ ego Iudæus ſum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti? Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt ex hoc mũdo. Si ex hoc mundo eſſet regnũ meum, miniſtri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudęis: Nunc autem regnũ meũ non eſt hinc. Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quod rex ſim ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc ueni in mundum ut teſtimonium feram ueritati Omnis qui eſt ex ueritate audit uocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt ueritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis: Ego nihil inuenio noxæ in hoc homine. Et cum accuſaretur à principibus ſacerdotum, et ſenioribus, nihil reſpõdit. Pilatus autem rurſum interrogauit illum, dicẽs: Non reſpon-

reſpondes quicquam? Ecce quàm multa dicunt aduerſum te teſtimonia, non audis? Et non reſpondit ei ad ullũ uerbum, ita ut miraretur præſes uehemen ter. At illi inualeſcebant, dicentes: Cõmouit populum, docẽs per uniuerſam Iudæam, exorſus à Galilæa uſq; ad hũc locum. Pilatus autem audita mentione Galilææ, interrogauit: num homo Galileus eſſet. Et ut cognouit quod ad Herodis ditionem pertineret, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hierosclymis erat per id tempus.

Introiuit ergo.] *Pilatus autem pro iudicis decoro, & alteram partẽ audit, quid ad hæc diceret Chriſtus, an ita ſe res haberet: nam ſunt ſatis uehementes et capitales accuſationes. Præ cæteris interrogationem urget, an regem ſe arroget, quæ Cæſaris res eſt. Chriſtus ad interrogationem reſpondet, diluit, remouetq; ſuſpicionem de affectato regno, ita tamen, ne planè neget ſe regem eſſe. Si de teipſo dicis, non opus eſt me fateri: Si ex alijs audiſti, illos quære unde ſciant. Hypotheſis eſt.*

Num ego Iudæus ſum?] *Diluit à perſona, ſcilicet ex ſe non ſcire, ſed ex alijs, qui eum ita accuſant.*

Ad

Ad hæc reſpondet Chriſtus, ſe quidem regem eſſe, ſed non terrenum: propterea quæ uidentur competere in læſam Cæſaris maieſtatem diluit, ne quid ea parte timeat. Ergo rex es tu? Collatio, cum non planè negat ſe regem eſſe. Cum autem audit nihil eſſe periculi ab hoc, de Cæſaris regno, facilè deſiſtit latius interrogare.

Ego in hoc natus ſum, &c.] Cauſa quare confiteatur ſe regem eſſe, quia ueritati natus eſt. Quæ eſt ergo illa ueritas, ad quam natus es, ut teſteris? Hic Pilatus optimam mouet occaſionem diſcendi, quid Chriſtus ſit, & ad quid uenerit: ſed non expectat reſponſum, ac ſtudio dimittendi Chriſti, exit, poſtquã audit nihil eſſe periculi de regno Cæſaris. Vel quod tantopere tumultuabat populus foris.

Ego nihil noxæ.] Deſiſtite à cœpto, falſo accuſaſtis. Teſtimonium eſt innocentiæ Chriſti, & encomium iudicis, non ad gratiam iudicantis.

Et cum accuſaretur &c.] Chriſtus uehementer à Iudæis accuſatus, nihil reſpondet: quoniam nihil proficit, etiamſi diligenter cauſam ſuã defenſet: nam prius rem ſuam declarauit, non tamen ſunt emendatiores facti.

Commouit populum, &c. à Galilæa uſq; huc.] Accuſatio ſeditionis.

À uoce Galilææ capit Pilatus occaſionem remouenda

uenda à ſe Chriſtum: aut quia erat in Herodis *iudicio, quod ante uiolauit* Pilatus, *nunc uult reſarcire.*

Herodes autem uiſo Ieſu, gauiſus eſt ualde. Tenebatur enim multo iam tempore cupiditate uidendi illum, eo quòd audiret multa de eo, & ſperabat ſe ſignum aliquod uiſurum ab eo fieri. Interrogabat autem eũ multis ſermonibus: At ipſe nihil ei reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum & ſcribæ acriter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitibus ſuis. Cumq; illuſiſſet, indutum ueſte ſplendida, remiſit ad Pilatũ. Et facti ſunt amici inter ſe Pilatus & Herodes in eodem die: nam antea ſimultates inter eos interceſſerant.

Herodes *autem uiſo* Ieſu *&c.*] Herodes *non gaudet* Chriſto, *ut doctore, ſed ut præſtigiatore.* Proptera *ad ſuas interrogationes nihil reſpondet, ne ſpargat margaritas ante* porcos. Herodes *induit ipſum alba ueſte ad deriſionem, quod ſe nõ dignatus eſt reſponſo.* Chriſtus *eſt pacificus inter* Herodẽ et Pilatũ, *ſed eſt inter eos pax, quæ eſt inter ſceleratos latrones*

Pilatus

Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotũ ac magiſtratibus & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum, & ecce ego coram uobis interrogans, nullum crimen inuenio in homine iſto, ex his de quibus accuſatis eum, ſed ne Herodes quidem. Nam remiſi uos ad illum, & ecce nihil dignũ morte actum eſt ei. Emendatũ ergo illum dimittam.

Pilatus conuocatis &c.] *Palam teſtatur Chriſti nocentiam: Tandem tamen ut expleret eorum libidinem, uoluit flagellatum dimittere, hoc fecit ſtudio dimittendi Chriſtũ. Adhæc à tempore commodam captat dimittendi occaſionem, quod ſolebant in Paſcha ex more, non lege, uinctũ dimittere, in memoriam liberationis ex Aegypto. Duos proponit, Ieſum et Barrabam, ex ſcelere celeberrimũ & morte digniſſimũ.*

In Feſto aũt neceſſe habebat & conſueuerat præſes turbæ dimittere unum uinctum quemcunq; poſtulaſſent. Habebat aũt tunc uinctum inſignem: nempe latronem, qui dicebatur Barrabas, qui cum ſeditionis autoribus cõiectus

fuerat

fuerat in carcerem, qui per ſeditionem quandam in ciuitate factam homicidiũ patrauerat. Et cum acclamaſſet turba, cœpit flagitare ut faceret quemadmodum ſemper faceret ipſis. Itaq; congregatis illis reſpondit Pilatus. Conſuetudo eſt uobis, ut unũ dimittam uobis in paſcha. Vtrũ ergo uultis dimittam uobis, Barrabam, an Ieſum regem illum Iudæorum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim, quod propter inuidiam tradidiſſent illum ſummi ſacerdotes. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cum iuſto illo, multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eum. Principes autem ſacerdotum & ſeniores, concitauerunt turbas perſuadentes ut ſibi potius dimitti peterent Barrabam, Ieſum uerò perderent. Reſpondens autem præſes ait illis: Vtrum uultis uobis è duobus dimittam. Et exclamauit ſimul uniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Iterum autem Pilatus

Pilatus locutus eſt ad eos, uolens dimittere Ieſum & ait: Quid igitur uultis faciam Ieſu, quem dicitis regem Iudæorum? At illi rurſum clamauerunt omnes: Crucifige crucifige eum. Illum autē tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit? Nullum crimen capitale comperio in eo. Caſtigatum ergo dimittam illum. At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Et inſtabant uocibus magnis, poſtulantes ut crucifigeretur. Et inualeſcebant uoces eorum ac ſummorum ſacerdotum.

Sciebant Ieſum.] Ergo inexcuſabilis eſt Pilatus.

Sedentem autem illo &c.] Præter hæc etiam uxor Pilati palam prohibet, ne quid agat mali cum iuſto illo: Nam multa paſſa ſum &c. Cauſa à collectione. Eſt & hoc apertum teſtimonium innocentiæ Chriſti. Satan paulatim ſentit Ieſum filium dei, propterea uoluit noſtram ſalutem impedire, metuitq; ſibi uim ab eo inferendam, & ſpolia ſua auferenda.

Principes autem ſacerdotum &c.] Principes perſuaſerunt populo, ut peterent Barrabam, iniuſtum pro iuſto. Data opera ſtudebant ipſum auferre è medio. Pilatus rurſum contendit ſummo ſtudio pro

ſalute

ſalute Chriſti. Crucifige, crucifige, præter ius & æquum, ut tollatur è medio, ea eſt mundi indoles erga Dei uerbum.

Quid enim malè fecit?] *Oportet iudicem non temerè iudicare. Pilatus clamore uictus, permittit Ieſum flagellari & coronari, ut tandē expleret Iudæorum animum, ſed nihil proficit: ita erant planè præfracti Iudæi, & in eius mortem iurati. Flagellatur, coronatur, conſpuitur, colaphis cæditur, & illuditur amaris ſarcaſmis, omnia in cōtumeliam, quod ſe regem appellabat: Vtiq; tamen rex eſt. Mali ſua etiam malicia opus dei perficiunt: nam dominus creauit impium propter ſe, etiam ad diem malū. Chriſtū ita tractari, erat in cōſilio patris & uaticinijs prophetarū.*

Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum & flagellauit. Milites autem abduxerunt eum intro in atrium, quod eſt prætorium, & conuocans ad eum totam cohortem, exutumq; induunt purpura ſiue chlamide coccina, et plectētes coronā de ſpinis imponunt capiti eius dantq; arundinem in dexteram eius, & genu flexo ante eum, illudentes ei cœperunt ſalutare, dicentes: Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Et cū expuiſſent

puiſſent in eum, acceperunt harundinem & percutiebant caput eius, & poſitis genibus adorabant illum. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum uobis foras, ut cognoſcatis quod nullam cauſam in eo inuenio. Exiuit ergo Ieſus foras, geſtans ſpineã coronam & purpureum pallium, et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo uidiſſent eum pontifices & miniſtri clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia filium dei ſe fecit. Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem magis timuit. Et ingreſſus eſt iterum in pretorium, et dicit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quod poteſtatem habeam crucifigendi te, & poteſtatẽ habeam abſoluendi te. Reſpondit

dit Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſus me ullam, niſi tibi datum eſſet è ſupernis: propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Ex eo quærebat Pilatus abſoluere eũ: Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc abſolueris, non es amicus Cæſaris. Quiſquis ſe regem facit, contradicit Cæſari.

Ecce *adduco eum uobis &c.*] *Flagellatum produxit* Pilatus Ieſum, *putabat iam omnino libidinem Iudæorum expletam eſſe, & fore ut innocens Chriſtus dimitteretur.*

Ecce *homo.*] *δεικτικῶς per extenuationem ſeu pathopœiam: quaſi diceret, non habet ferè hominis ſpeciem, tam malè tractatus eſt.* Iam *niſi ferrei & lapidei eſtis, puto animo ueſtro ſatisfactum eſſe.* Aequè *inſtant, & perſtant ut crucifigatur.*

Accipite *eum uos.*] Permiſsio *eſt, & teſtimonium innocentiæ.* Iracunde *dictũ uidetur, poſtquàm omni tentata re, non poterat eorum pertinaciam flectere.*

Nos *legem habemus.*] Lex *erat, blaſphemos lapidare, ſed uolebat crucifigere, ut eius nomen, gloria, res geſtæ, & totus deniq; Chriſtus, penitus extingueretur.* Cauſam *ſatis probabilem addunt.*

Q*uia filium dei.*] Hinc *ſibi timet* Pilatus, *putat*

gentiliter, ne quis gentilis deus: ut Apollo, Iupiter, Mercurius &c. lateret ſub humana ſpecie, attamen hic plus eſt quàm timet. Propterea ſeorſum interrogat unde ſit, cœlitus ne?

Ieſus autem.] Quoniam huius nihil competit in Cæſaream maieſtatem.

An neſcis.] À perſonæ circunſtantia & poteſtate. pro ſui contemptu accipit. Iniquè dictum à iuſto iudice, ſed facit ut fieret de ſua interrogatione certior, ne quid forte in deos deſignaret.

Non haberes poteſtatem.] Refutat, Optimè dictum à Chriſto, quod nos conſoletur in quibuſuis iniurijs propter dei uerbum illatis, ſcilicet, nihil fieri nobis, niſi deo patre admittente: ſiquidem etiam capilli numerati ſunt. Item, Omnis poteſtas à deo eſt.

Maius peccatum habet.] Tu cum ſcis me eſſe innocentem, utiq; malè tractas & damnas, peccatum habes. Sed qui me tibi tradiderunt, grauius peccant, quia ſciunt ſcripturas. Ab his ſtuduit dimittere Chriſtum. Si hunc abſolueris.] Comminatio eſt. Referetur hoc ad Cæſarem te non eſſe fidum eius miniſtrum, non tueri eius maieſtatem, & ſic perdes eius gratiam. Confirmat æthiologia: Quoniam qui ſe regem facit, aduerſatur Cæſari, omnem occludunt uiam dimittendi.

Pilatus autem cũ audiſſet hunc ſermonem,

monem, produxit foras Ieſum, ſeditq́ꝫ pro tribunali in loco qui dicitur Litho ſtrotos, hebraicè autẽ Gabbatha. Erat autem paraſceue paſchæ, hora fermè ſexta. Et dicit Iudæis: Ecce rex ueſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eũ. Dicit eis Pilatus: Regem ueſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem. Tunc ergo Pilatus uidens quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, uolens turbæ facere ſatis, adiudicauit, ut fieret quod illi poſtulabant. Et ecce accepta aqua abluit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti, uos uideritis. Et reſpõdẽs uniuerſus populus dixit: Sãguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

Pilatus cum audiſſet &c.] *Pilatus timuit hominis gratiam perdere, plus quàm dei: Ita hodie multi referunt Pilatum. Iam uictus Pilatus, & occluſus undiq;, conſcendit tribunal, ut mortis ſententiam dicat de Chriſto, horam circiter ſextam, À tempore.*

Ecce rex ueſter.] *Adhuc commonefacit Iudæos*

 incœpti

incœpti, quaſi diceret: Satis pro peccato pœnas dedit: ecce expleui ueſtrum animum, quod ſe regem nominauit. Tolle, tolle, crucifige.] Grauis eſt nobis etiam ad uidendum.

Regem ueſtrum crucifigam?] Ab indecoro.

Regem non habemus.] Planè negant. Ceſſet à nobis ſanctus Iſraël. Cõfitentur ipſi regnum eſſe ablatum, ergo Meßiæ tempus adeſt quod eos ſatis admonuiſſet, ex ſuo ipſorum ore iudicabuntur. Volebant potius nullum, quàm talem regem habere, non agnoſcimus hunc regem inermem, mendicum & circumforaneum. Quem nos, expectamus regem, reſtituet omnia in integrum, ut erant ſub Dauidis & Salomonis regno, Eſa. Super ſolium Dauid ſedebit ut confirmet illud.

In publico lauat manus Pilatus, dat conſpicuum & apertum teſtimonium innocentiæ Chriſti: non tamen propterea expurgatus. Non eſt uis inferenda homini innoxio, etiamſi quiduis cogeret. Quicquid huius facio, cogitis me, & urget Cæſaris gratia, uolo ab his eſſe expurgatus, uos uideritis.

Sanguis eius ſuper nos.] Nihil tibi erit periculi, ne time, perge modo, nos tot homines reſpondebimus & ſoluemus pro ipſo uno homine. Ita erant pertinaciter excæcati, indurati, & deuoti in Chriſti mortem.

Dimiſit

Dimiſit autem illis Barrabam, qui propter ſeditionem, & homicidium cõ-iectus fuerat in carcerem, quem popoſcerant. Ieſum autem flagellatum & illuſum tradidit arbitrio illorum ut crucifigeretur.

Pilatus iam tutior factus, Barrabam hominem ſeditioſum, ſceleratum, homicidam, & nefarium dimittit: Chriſtum autem innoxium, præter ius ad crucem, ignominioſiſsimam mortem damnat.

Accipientes autem Ieſum milites, exuerunt eum purpura, & induerunt eũ ueſtibus proprijs, & abduxerunt eum baiulantem ſuam crucem, ut crucifigerent. Exeuntes autẽ inuenerunt quendam prætereuntem, hominem Cyrenæum nomine Simonem, uenientem ex agro, patrem Alexandri, & Rufi. Hunc apprehendentes coëgerunt, ut tolleret crucem eius. Et impoſuerunt illi crucem ut portaret poſt Ieſum. Sequebatur autem illi multa turba populi ac mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Cõuerſus autem

ad illas Ieſus dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper uobis ipſis flete, & ſuper filijs ueſtris Quoniã ecce uenient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & uentres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus, operite nos, quia ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur aũt & alij duo cũ eo facinoroſi, ut interficerent.

Induerunt eum ueſtibus.] *Vt ab omnibus noſceretur.* *Baiulabat crucem ſuam.*] *Alij non item, hic eſt uerus ille Iſaac. Præterea omnes horrebant à contactu eius crucis. Porrò cum uident ipſum nimis exhauſtum, nec ſufficere uires ad portandum, Simonem Cirenaicum, ſeruili officio adegerunt Chriſto ferre crucem. Cauſa non adigit ad deſperationem dominus, nec ſinit ſuos tẽtari ſupra quàm ferre poſſunt.*

Sequebatur.] *Chriſtus corrigit, ut ſuper ſe ipſas fleant, ſiquidem mors ſua non eſt merito deflenda, quoniam neceſſaria & ſalutifera. Sed futurum eſt, ut grauiſſimas daturi ſint pœnas huius maleficij: Nam dominus mortem ſuam non patitur inultam. Prænunciat horrendam deuaſtationem Hieruſalem, & omnium*

nium contemnentium dei uerbum. Præterea & horrorem in iudicio extremo, quod tam miſerrimè promiſſum regem adficiunt, quē merito paßis ulnis exciperent. Item declarat ſeuerum dei iudiciū et iram.

Quia ſi in humido ligno &c.] A maiore. Si ita dominus me innoxium, uiride lignū, crudeliter permittit tractari, Quid fiet de infidelibus, ligno arido? 1. Petri 4. Si iuſtus uix ſaluabitur, Impius ubi parebit? Si non pepercit unigenito filio, quanto minus parcet impijs? Incutit nobis timorem domini.

Et ducunt eum in locum, qui dicitur hebraicè Golgata, quod eſt, ſi interpreteris, Caluariæ locus. Et ibi dederunt ei acetum ſiue myrrhatum uinum cū felle mixtum bibere. Et cum guſtaſſet, noluit bibere. Et crucifixerunt eū in Golgatha, & cum eo duos latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris eius, medium autem Ieſum; Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Et cum iniquis deputatus eſt. Erat autem hora tertia dum crucifixerūt eum. Ieſus aūt dicebat: Pater remitte illis, neſciunt enim quid faciūt.

Et ducunt eum, &c.] Vbi uentum eſt ad locum crucis, malè tractatum & laſſum potant aceto felle

mixto, et addunt dolori dolorē, cōdunt dolorē amaritudine. Pſal. Super quē percußiſti addiderunt. Item Potauerunt me aceto, Dederunt in eſcam meam fel.

Ieſus in medio latronum pendet, quaſi inſignis maleficus & anteſignanus, iuxta illud Eſaiæ quinquageſimo tertio. Cum iniquis reputatus eſt.

Pater remitte illis.] Si ſciſſent, haudquaq́ regē gloriæ crucifixiſſent. Orate pro perſequētibus uos.

Scripſit autem & titulum Pilatus, id eſt, inſcriptionem cauſæ illius, & poſuerunt ſuper crucem ad caput Ieſu. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus ubi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcriptū literis hebraicis, & græcis, & latinis. Dicebāt ergo Pilato pontifices Iudæorum: Nolite ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quod ille dixerit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus, Quod ſcripſi, ſcripſi.

Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum.] Epigraphe, & ſtatus cauſæ. Hic titulus Chriſti uerus eſt, non tam ex induſtria Pilati, quàm domini conſilio ſcriptus, & manet utut refragantur Iudæi.

Milites

Milites ergo cum crucifixiſſent Ieſum, acceperunt ueſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem & tunicam. Erat autem hæc tunica inconſutilis, à ſummo cõtexta per totũ. Dixerunt ergo inter ſe: Ne ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, ut ſcriptura impleretur quæ ſcripta eſt per prophetã, dicẽs: Partiti ſunt ſibi ueſtimenta mea, & ſuper ueſtẽ meã miſerunt ſortẽ. Sedentes aũt ſeruabant eum ibi. Et milites quidem hæc fecerunt.

Partiti ſunt ſibi ueſtimenta mea.] Ergo *plures quàm unam tunicam habuit.* Hæc *ad teſtimonium ſcripturarum facta ſunt,* Pſal. 22.

Stabant autem iuxta crucem Ieſu, mater eius, & ſoror matris eius Maria uxor Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum uidiſſet ergo Ieſus matrem ac diſcipulum aſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

Mulier

Mulier.] *In dei negocijs Chriſtus matrem mulierem appellat, ut quæ ea parte non differt à cæteris hominibus, aliâs non eſſet boni filij tantos luctus facere parenti: quoniã ſtultus filius contriſtat matrẽ.*

Ecce filius tuus.] *Magis de Ioanne quàm de ſe dicta uidentur: Nam mox correlationem ſubnectit ad Ioannem.*

Ecce mater tua.] *Hunc loco meo pro filio habe. Ipſe uiciſsim mea uice tui curã aget. Eſt pietatis exemplum erga parentes.*

Et ſtabat populus ſpectans. Qui autem præteribant, conuicia iaciebant in eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Væ qui demoliris templũ, & in tribus diebus extruis: Serua temetipſum. Si filius dei es, deſcende de cruce. Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes inter ſeſe, cum ſcribis & ſenioribus & populo, dicebant: Alios ſeruauit, ſeipſum ſeruare non poteſt. Si hic eſt ille Chriſtus, rex Iſraël ille dei electus, ſeruet ſeipſum, deſcendatq́ nũc de cruce, ut uideamus & credamus ei. Cõfidit in deo, liberet eum nunc, ſi uult eum. Dixit enim: Filius dei ſum. Idipſum autem & latrones

latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant conuicіantes ei. Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetũ offerentes ei atq; dicentes: Si tu es rex ille Iudæorum, ſaluum te fac. Vnus autem de his qui pendebant facinoroſorum, conuicia dicebat in eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſerua & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens: Ne tu quidem times deum quod in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic uerò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine memento mei cum ueneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo. Erat autem ferè hora ſexta.

Væ qui demoliris templum dei.] *Si filius dei es. Si es Meßias rex Iſraël &c.*

Confidit in deum &c.] *Hic amarißima ſcommata, & Sarcaſmos deuorat in ſumma cruce Chriſtus, quod eſt omnium moleſtißimum & crudelißimum, dolorem dolori addere: niſi hic aliquis eſt confirmatus fide, & uerbo dei, rectißimè ad deſperationem adigitur.*

adigitur. Inſuper æque blaſphemant latrones, in eadem cruce conſtituti, quid eſt unquàm amarius? Sed alter de blaſphemia pœnitet & Meßiam agnoſcit, hoc fidei opus & indicium eſt.

Amen dico tibi.] *Pœnitentia prompta promptũ habet Euangeliũ, & promißionem. Tropus loquendi eſt, quaſi diceret: Hodie mecum reſtitueris in eam gratiam, unde per Adæ lapſum eiectus es.*

Cum uerò facta eſſet hora ſexta, ab ea tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terram uſq; ad horã nonã, & obſcuratus eſt ſol. Et circa horã nonã clamauit Ieſus uoce magna, dicens: Eli, eli lamma zabatani? quod eſt, ſi quis interpretetur. Deus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me? Quidam autem illic ſtantiũ cum audiſſent, dicebant: Ecce Heliam uocat iſte. Sciens autem Ieſus quod omnia iam cõſummata eſſent, ut cõſummaretur ſcriptura, dicit: Sitio. Vas igitur erat poſitum aceto plenum, & continuo accurrens unus ex eis, cum acceptam ſpongiam impleſſet aceto & hyſſopo, impoſuit harundini, obtulitq; ori

eius

eius ut biberet, & cum cæteris dicebat: Sinite, uideamus an ueniat Helias ad deponendum eum. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et iterum clamauit uoce magna, dicens: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et cum hæc dixiſſet, inclinato capite tradidit ſpiritum.

Cum uerò, &c.] *Creaturæ creatorem agnoſcunt & compatiuntur, & arguunt inſigne aliquid fieri in mundo, ut de Dionyſio Athenienſi referunt, cum eæ tenebræ ſunt præter naturam. Tribus horis & amplius Chriſtus uiuus pendet in cruce. Circiter horam nonam clamat:*

Eli, eli.] *Deus meus, Deus meus, quare ita dereliquiſti me? Eſt ſummæ miſeriæ, tentationis & anguſtiæ uox, quando etiam dominus uidetur nos deſeruiſſe, et eſſe aduerſus. Miſerrimum pathos.*

Eliam uocat iſte.] *Aut illuſionis, aut à procul non ſatis intellecta uox eſt.*

Sitio.] *Voluit omnia de ſe ſcripta expleri, etiam illud Pſalm. 22. Potauerunt me aceto. In cruce aceto potare, eſt dolorem dolori addere, & ad illatam iniuriam ſcommatibus aliquem exercere. Etiam naturale eſt, ſanguine exhauſtum, ſitire. Et rectiſsimè ſitiuit noſtram ſalutem.* Con-

Conſummatum eſt.] In me, quod de Meßia uaticinatum eſt, ne quis porrò dubitet de me. Iam negocium meum exequutus ſum.

Pater in manus tuas.] Eſt plusquàm humanum plena uoce emittere ſpiritum, cum ſit planè exhauſtus tormentis. Omnia committit domino, etiam ſpiritum & ſatis tuto. Hic infra cœlum & terram pendet æneus ille ſerpens, hic extra uineam eiectus occiditur uerus ille hæres. Hic pendet in cruce maledictũ pro maledictis: Iã uerus ille agnus fert peccata mundi: Hic deus pater delictum illum filium, in quo ſibi ſingulariter benè complacuit, ne ſemel quidem reſpicit, ſuſcipit aut defendit. Inter homines autem ad extremum uſq; anxiatur. Ita omni præſidio & Dei & hominum planè deſtitutus, inter cœlum & terram pendet & moritur.

Et ecce uelum templi ſciſſum eſt medium in duas partes, à ſummo uſq; ad imum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt & monumenta aperta, & multa corpora ſanctorũ qui dormierant ſurrexerunt, & egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem eius, uenerunt in ſanctam ciuitatem et apparuerunt multis.

Et ecce uelum.] Hactenus deus pater nullum argumentum

gumentum de filio dedit, planè deſtituit, & reliquit ad mortem uſq;. Nunc tandem emortuum ſuſcipit, & declarat per ſigna mortem conſecuta, ſe nimis quàm acerbè offenſum eſſe Iudæis, pro unigenito filio, tam horrendè tractato.

Centurio autẽ qui aſtabat ex aduerſo illi, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, uidentes quod ſic emiſſo clamore expiraſſet, uiſoq; terræ motu, & his quæ facta fuerant, timuerunt ualde & glorificauerunt deum, dicentes: Verè hic homo iuſtus erat & filius dei. Et omnes turbæ eorum qui ſimul acceſſerant ad ſpectaculum iſtud, & uiderant quæ contingebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.

Verè filius dei erat iſte.] Colligunt à ſignis, & dant teſtimonium innocentiæ Chriſti.

Percutientes pectora.] Multi qui antea Crucifige clamauerunt, pœnitebant, & gratiam aſſecuti ſunt cum Apoſtolis in die Penthecoſtes.

Stabant ibi omnes noti eius procul, & mulieres quę ſecutæ erant eum à Galilæa, hęc uidentes. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi parui

& Ioſe mater, & Salome mater filiorũ Zebedæi, quæ etiam, cum eſſet in Galilæa, ſecuti fuerant illum, & miniſtrauerant ei, aliæq́ complures quæ ſimul à Galilæa aſcenderant cum eo Hieroſolymam. Amici eius ſtabant à longe.

Ita fit in ferenda cruce.

Iudæi ergo, quoniam paraſceue erat ut non remanerent in cruce corpora, ſabbato (erat magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum ueniſſent, ut uiderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura, ſed unus militum lancea latus eius fodit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui uidit, teſtimonium perhibuit, & uerum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quod uera dicit, ut et uos credatis. Facta ſunt enim hæc ut ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et rurſus alia

ſcriptu-

ſcriptura dicit: Videbunt in quem pupugerunt.

Chriſtus cæteriq; latrones deponuntur de cruce iuxta illud Deut. 21. Non permanebit cadauer in cruce, ſed eadem die ſepelietur. Franguntur crura uiuis latronibus, ut tanto citius morerentur. Chriſto non item quoniam iam mortuus erat, & ſecundum illud Exod. 12. Os non comminuctis ex eo: Ergo agnus paſchalis competit in Chriſtum. Sed perforatur lancea latus eius, ut expleatur illud Zachariæ 12. Videbunt in quem transfixerunt. Hoc fecerunt ne forte quid uitæ in ipſo deliteret, ne uiuus deponeretur, & reuiuiſceret. Omnia tamen facta ſunt ex cõſilio dei. Iam expleta eſt Iudæorum libido.

Poſt hæc autem cum ueſpera facta eſſet, quoniam erat paraſceue quæ pręcedit ſabbatum, uenit Ioſeph Arimathienſis, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, uir diues, ſenator & bonus & iuſtus, qui non conſenſerat conſilio & facto eorum. Erat enim & ipſe expectans regnũ dei. Nam & diſcipulus erat Ieſu, ſed occultus propter metum Iudæorum. Hic ſumpta audacia ingreſſus eſt ad Pilatum, & petijt ab eo

ut tolleret corpus Ieſu. Pilatus autē admiratus eſt ſi iam mortuus eſſet. Et acceſito ad ſe Centurione interrogauit illum, an iamdudum mortuus fuiſſet. Et re cognita ex Centurione, donauit corpus Ieſu ipſi Ioſeph, iubens reddi illud. Et Ioſeph, mercatus eſt ſindonem. Venit autem & Nicodemus, qui uene rat primum ad Ieſum nocte, ferens mixturam myrrhæ & aloēs, ad libras fermè centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu depoſitum, & inuoluerunt illud in ſindone munda, obuinxerūtq́ lintheis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in eo loco ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto, monumentum Ioſeph nouum, quod is exciderat in petra, in quo nondum quiſquā poſitus erat. Ibi ergo quia paraſceue erat Iudæorū & ſabbatum illuceſcebat, quod in propinquo eſſet monumentū, poſuerunt Ieſum. Et aduoluto ſaxo ingenti ad oſtium monumenti abierunt. Erat autem ibi Maria Magdalene &

Maria

Maria Ioſe ſedentes contra ſepulchrũ & ſpectantes ubi poneretur, & cũ mulieribus cum quibus uenerant cũ Ieſu de Galilæa, uiderunt monumẽtum, & quemadmodũ poſitũ erat corpus eius. Reuerſæ uerò mulieres parauerunt aromata & unguenta, ac ſabbato quidẽ quieuerunt ſecundum præceptum.

Poſt hæc autem.] Ioſeph ab Arimathia tacitus & timidus diſcipulus Chriſti, propter metum Iudæorum. Iam palam & aperta fronte profitetur Chriſtum, & accedit Pilatum, petit corpus Ieſu, ut ad ſepeliendum de cruce deponeret. Miratur Pilatus tam cito eſſe mortuum, fit certior per præfectum & tradit. Nicodemus itẽ qui præ metu nocte uenit ad Chriſtum, iam conſpicuè & plena luce, damnatum Chriſtum ſepelit, & condit aromatibus. Chriſtus glorioſe & in pace ſepultus eſt, iuxta illud Eſa. 11. Erit ſepulchrũ eius glorioſum. Et in pace factus eſt locus eius. Omnia ad ſcripturam. Hic Chriſtus ſepulchro conditus, deſcendit ad inferos, mortis mors, & morſus inferni. Sepulchrum mortem, non mortuum deglutit, iam cõterit ſemen illud Adæ caput ſerpentis. Iam Samſon Philiſtæos proſternit. Iam paruus ille Dauid ingentẽ Goliad ſuperat. Hic Ionas ille, tribus diebus,

& noctibus eſt in uentre Cœte & corde terræ. Hic iacet templum illud deſtructum, in triduo reſuſcitandum, quod iam Phariſæi benè intellectum profitentur, antea pro blaſphemia citârunt. Indoles præfractorum impiorum eſt, ſciunt uerbū dei, attamen ſcire uolunt. Igitur eorū damnatio iuſta eſt. Nunc trepidant, & uirtutē Chriſti agnoſcunt, produnt animum ſibi malè cōſciū, dant operam, ne ipſorū malitia ueniat ad lucem: Quod timet impius, ueniet ſuper eū.

Poſtero autem die quæ ſequitur poſt paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotum & Phariſæi ad Pilatū, dicentes: Domine recordati ſumus quod impoſtor ille dixit adhuc uiuens. Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo muniri ſepulchrum uſq; in diem tertium, ne quando ueniant diſcipuli eius & furentur eum, dicantq; plebi: ſurrexit à mortuis, et erit nouiſſimus error, peior illo priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam. Ite, munite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munientes ſepulchrum obſignato lapide, adhibitis cuſtodibus.

Obſignant lapidem.] *Ponunt cuſtodes, ne quis ſurriperet, aut ne cum tertia die reuixerit, poſſet*

aut

aut ipſe lapidẽ amouere, aut aliquis alius deuoluere, & ſic prodire: Ita planè extinctum uolunt Chriſtũ, Carnalis ratio ab omni parte cauet, & tamen illuditur. Dominus aliud in conſilio habet. Qui habitat in cœlis irridebit eos. Chriſtus iam in ſepulchro uerum agit & ſanctificat Sabbatum, iam ceſſat à ſuo opere, quod expleuerat, permittit patrẽ planè ſecũ agere.

TRES TENTATIONVM SEV Crucis gradus ſunt.

PRimus eſt carnis, Vbi ſecundum carnem adfligimur, priuamur propter Euãgelium noſtris bonis, amicis, uxore, liberis &c. caro ipſa adfligitur, uagamur incertis ſedibus, exturbamur è patria nudi, extorres uiuimus &c. ualetudo corrumpitur, corpus ægrum eſt, atq; uarijs morborum generibus expoſitum, non datur eius iuſtam agere curam &c. Hæc ſatis magna & ualida eſt tentatio.

Secundus excellentior eſt. Superiora eſſent utcunq; ferenda, modo mũdus, & uulgus prædicaret nos, laudaret, & beatos diceret, qui talia ob Euangeliũ patimur. Sed inſuper ſcommatibus uexat, & ſarcaſmis urget, nos hæc, noſtro merito ut hæreticos pati, præfractãq; noſtrã mentem præter neceßitatẽ hæc nobis conciliaſſe. Satis ſuperq; grauis hæc carnis eſt crux.

Tertius gradus, eſt omniũ crudelißimus, quippè qui eſt ſpiritus & animæ. Superiora item utcunq;

ferenda eſſent, modo eſſet nobis hinc bona conſcientia, nos ſcilicet præter ius, propter dei uerbum, ex dei uoluntate hæc pati. Quin & deus faciem ſuam auertit, ſubtrahit conſolatorium ſpiritum, apparet planè auerſus, adeoq́; aduerſus, uidemus impiorum fœlicitatem, noſtram infœlicitatem, putamus nos planè in uerbo dei erraſſe, & non rectè intellexiſſe, nos iam noſtri erroris & temeritatis dare pœnas. Mundus nos ridet & pungit, deus nuſquam apparet, adeò penitus deſeruiſſe uidetur. Sic cum Chriſto inter cœlum & terram pendemus. Hic niſi dominus, fidelis deus (qui non ſinit ſuos tentari ſuprà quàm ferre poſſunt) ſuſtent nos, nihil eſt reliquum quàm ueriſsima deſperatio. Hic perſtare opus dei eſt, & conſtantis fidei.

Sunt præterea alia tria genera crucis. Prima Chriſti eſt, quam ferunt pij præter meritum, & noxiam ſuam, ſolum Chriſti nomine, & cauſa Euangelij, ut Chriſtus ipſe: atq; hæc eſt carni omnium amariſsima, præter noxiam pati: nam ab hac etiam Chriſtus ipſe abhorruit cũ inquit: Pater, ſerua me in hac hora: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

Altera eſt latronis ad dexteram pendentis, eam merito ſuo quidem pij ferunt, peccata ſua agnoſcentes,

tes, & pœnas dantes cum pœnitentia. Hos *dominus corripit,ne cum hoc mundo damnentur.* E*am crucem tulit* D*auid, cum expulſus eſt è regno ab* A*bſolon.* I*tem,*C*um dabatur optio eligendi ex tribus,aut famem,peſtem,aut bellum.*I*tem,*C*um filij* I*ſraël acti ſunt in exilium à rege* B*abylonico &c.*H*uc ſpectant ſententiæ ſcripturæ* D*anielis 9.*O*mnia nobis in uero iudicio feciſti*, P*eccauimus cũ patribus noſtris,* T*ibi domine iuſticia,nobis confuſio faciei &c.*

T*ertia latronis ad ſiniſtram pendentis eam ſuo merito impij ferunt,non reſipiſcunt,nec pœnitentiã, agunt,nec pro caſtigatione domini agnoſcũt,ſed infortunio adſcribunt,& blaſphemant nomen domini, & ſic tandem indurati,pereũt.* E*a cruce,*C*ain,*S*aul,* I*udas,*I*udæi in deſtructione* H*ieruſalem &c. perierunt.*L*icet hæc genera crucis & hodie obſeruare: nam æquè nunc atq; olim,pij & impij uiuunt.*

Crux eſt quoduis infortunium,& præter ſententiam malus euentus,ex dei conſilio.

SEQVITVR PARS
ÆSTIVALIS.

DOMINICA PASCHAE.

Euangelium, Marci XVI.

ET cum tranſiſſet ſabbatum Maria Magdalene & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut uenientes ungerent Ieſum. Et ualde mane una ſabbatorum ueniunt ad monumentum: orto iam ſole. Et dicebant ad inuicem. Quis reuoluit nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes uiderunt reuolutum lapidem. Erat quippè magnus ualde. Et introeuntes in monumentum, uiderunt iuuenem ſedentem à dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expaueſcere. Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Ecce locus, ubi poſuerunt eum, Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, præcedet uos in Galilæam, Ibi eum uidebitis, ſicut dixit uobis. At illæ exeuntes, citò fugerunt de monumento, Inuaſerat enim eas timor & pauor,

&

& nemini quicquam dixerunt. Timebant enim.

EVangeliũ eſt generis Didaſcalici de reſurrectione. Exordium commodius ſumitur à tempore paſchatis, Exod. 12. aut à re ipſa, ſcilicet, articulum reſurrectionis arduum, & multæ diſceptationis fuiſſe in primitiua Eccleſia: quia nec Iudæi quidam, ut Sadducæi, nec Gentes omnes credebant mortuos reſurrecturos. Hunc Apoſtoli omnes, & ſeorſum Paulus in Actis, & 1. Corinth. 15. conſtanter adfirmat & urget Chriſtum, ſcilicet reſurrexiſſe, primitias dormientium (cuius rei hiſtoriam tractamus) ſequitur ergo & nos reſurrecturos, ſuo certo & ſtatuto tempore à deo patre in extremo iudicio. Porrò Chriſtũ reſurrecturum prophetæ paßim teſtantur, Pſalm. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Item Pſalmo 3. Ego dormiui & ſoporatus ſum & exurrexi, quoniam dominus ſuſcepit me. Et Pſalmo 56. & 107. Exurge gloria mea, exurge pſalterium cum cithara: Exurgam diluculo, Item Ionæ figura. Iam Chriſtum reſurrexiſſe, huius diei euangelica hiſtoria narrat ex Euangeliſtis. Chriſtus ea ſui parte qua erat mortalis, ſcilicet humanitate, mortuus eſt: Et ea parte qua erat immortalis, diuinitate ſcilicet, reſurrexit. Narratio. Poſtridie ſabbati: À tempore,

pore, quod tertia die reſurrexit, ſummo diluculo, transfiguratо corpore, per lapideum ſepulchrũ, immoto lapide ante deſcenſum Angeli. Maria Magdalenæ, Iacobi & Salome, quod emerant aromata, ut ungerent Ieſum, dubitabãt adhuc, & oblitæ erãt uerborum Chriſti, ſe ſcilicet tertia die reſurrecturum, unde etiam eas taxat Angelus, ſignant incredulitatẽ, fragilitatẽ & inconſtantiã humanã in perſecutione.

Quis reuoluet nobis lapidem?] Fruſtra eſt quod intendimus, niſi quis adiuuet. Hæc omnia indicant, eas nõ quærere Chriſtum an reſurrexerit, ut prædixerat, ſed ut ungerent, & ſupremum illum ſibi honorem exhiberent, ſiquidem iam de eo actum erat. Ita labaſcit fides in cruce & rebus aduerſis.

Et ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim domini deſcendit de cœlo, & accedens deuoluit lapidem ab oſtio, ſedebatq́; ſuper eum.] Deus non permittit ſuos in errore, docet, erudit, & reuelat ſua myſteria credentibus. Quod angelus de cœlo reuelat reſurrectionem Chriſti, deſignat diuinitus dari cognitionem ſecretorum dei & reſurrectionẽ Chriſti, & omnium mortuorum, diuinam eſſe rem, & ſupra omnem captum rationis.

Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & ueſtimentũ eius candidum ſicut nix.] Eſt deſcriptio perſonæ Angeli, à qualitate corporis.

Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt uelut mortui.] *Humana uis & poteſtas, non poteſt impedire opus dei, imò exterritur.*

Reſpicientes uiderunt reuolutum lapidem.] *Dominus piorum uotis adeſt: Angelus domini remouet quicquid impedit acceſſum ad Chriſtum.*

Ingreſſæ mulieres non inuenerunt corpus domini, & dum erant conſternata mente & meditabunda, declinauerunt uultum in terram: ecce duo Angeli aſtant, & dubia, metumq́; ſoluunt, & docent rem.

Nolite expaueſcere.] *Quaſi ſit ablatus dominus. Ieſum, quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit nõ eſt hic: ecce locus ubi poſitus erat. Et quid quæritis uiuentem inter mortuos?*] *Taxatio eſt obliuionis. Recordamini eorum quæ locutus eſt uobis in Galilæa, ſcilicet oportere filium hominis crucifigi, & tertia die reſurgere. Certificat eas angelus uerborum Chriſti, ut fidem confirmet, & perſuadeat eum reſurrexiſſe. Ita ſuggerit nobis ſpiritus dei uerbum dei in cruce, & certificat nos.*

Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, ſicut dixit uobis.] *Iubet myſteria dei nõ reuelare quibuſuis deriſoribus impijs, ſed ijs qui cupidè adfectant, & ſitibundo animo ſuſcipiunt: Et Petro, ne deſperet de negatione anxius. Porro amplificabis & confirmabis*

bis reſurrectionem Chriſti, adductis cæteris teſtimonijs, ſcilicet quod Petrus & Ioannes currentes ad ſepulchrum, non inuenerunt Chriſtum, ſed ſola linteamina. Quod apparuit Mariæ Magdalenæ, duobus diſcipulis euntibus Emaus, diſcipulis piſcantibus etc. Fructus aũt reſurrectionis Chriſti eſt, credere ipſum uiciſſe Satanam, deſtruxiſſe infernum, deleuiſſe peccatum, reconciliaſſe iratum deum, reſtituiſſe nos in integrum, auſpicatum eſſe regnum ſuum ſpirituale & cœleſte. Eum eſſe primitias dormientium. Et nos per ipſum reſurrecturos. De noſtra reſurrectione, Ezechiel. 37. Daniel. 12. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt &c. Iob 19. Scio enim, quod redemptor meus uiuit, et in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum. Et rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo deum, quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei cõſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo 1. Cor. 15 Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientiũ: quandoquidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes uiuificabuntur: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba &c. oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem: Tunc fiet ſermo qui

ſcriptus

ſcriptus eſt: Vbi mors uictoria tua? Vbi mors ſtimu=
lus tuus? &c. Deo autem gratia, qui dedit nobis ui=
ctoriam per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ. Item 1.
Theſſa. 4. Si enim crediderimus quod Ieſus mortuus
eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierũt per
Ieſum adducet cum eo. Item Ioannes Apocalip. 20.
Et Chriſtus Matth. 22. confutat Sadducæos de reſur=
rectione errantes. Teſtantur in reſurrectionem mor=
tuorũ, & uitam eſſe æternam, Enoch & Helias. Tan
tum de Chriſti et noſtra reſurrectione: Si libet & ua
cat, amplificabis exemplis & ſimilitudinibus hiſto=
ricis, ut Chriſtus uerus eſt ille Samſon, qui confregit
leonem, Iudi. 13. Verum eſt illud ſemen Adæ, quod cõ
teret caput ſerpentis. Verè eſt ille Ioſue, qui introdu
xit nos in terram promiſſam. Verè eſt ille Dauid, qui
uicit Goliad, qui eripuit ouem ex ore Leonis. Verus
eſt agnus ille paſchalis, Exod. 12. Iam uerum celebra
mus paſcha, & tranſitum illum à peccato, ad inno=
centiam, à morte ad uitam, ex inferis ad cœlũ, ex ira
ad gratiã dei, à mortalitate ad immortalitatẽ. Hinc
ſequuntur exclamationes, admirationes, Erotema=
ta &c. Epilogus conſtat enumeratione ſuperiorum,
Gratiarum actione, & exhortatione ad fidem. Qui
allegorijs gaudet, interpretetur Mulieres, pias men
tes quærentes Chriſtũ. Angelũ à deo miſſum cõciona
torẽ, qui uitæ et doctrinæ ſplendore exterret impios
prohi=

probibentes Chriſtum. Conſolatur pios de reſurre-ctione Chriſti, & docet ubi porrò inueniendus ſit.

EPISTOLA I. COR. V.

Hortatur ut immolato agno paſchali Chriſto, purũ paſcha celebremus per fidem, in azimis puræ mentis, ueteri fermento uitiorũ expurgato. Repete *hiſtoriam de Paſchate,* Exod. 12. Et *quid ſit.*

EXpurgate uetus fermentum ut ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur, non in fermento ueteri, neq; in fermento maliti æ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & ueritatis.

SAtan propter ſuam ſuperbiam, & dei contemptum ex cœlo exturbatus, inuidet generi humano, ſuas ſedes occupare. Homo *creatus, in paradiſum conſtitutus, libero ſuo arbitrio relictus eſt, ſolum ut ab arbore ſcientiæ abſtineret, unde agnoſceret & admoneretur, ſe dominũ habere ſupra ſe, cum eſſet ipſe dominus omnium creaturarũ.* Ex eo *mandato, cœpit Satan tentandi, de lapſu occaſionem, ſciens ſuo exemplo, contemptum dei eſſe ſummum peccatum, & peccatum obnoxium reddere æternæ maledictioni.* Tentat *hominem per dolum, mentiens nõ eſſe periculum*

riculum de Dei mandato. Homo relinquens dei mandatum, perſuaſus, & arbitratus rem non eſſe tam ſeriam deo, nec eſſe tanti negocij ueſci pomo, ſecuritate deceptus dolo per Satanam, tranſgreſſum mandatum, peccauit, & cecidit. Iam cum Satana damnatus eſt, iuxta ſententiam dei, & tamen præter Satanæ culpam, quoniam homo erat ſui iuris liber, non coëgit eum ſed perſuaſit. Deus poterat hic potentiã ſuam exercuiſſe, & hominem ui uindicaſſe, iure autem non poterat. Ita hic potentia, & ius certant. Facta fuiſſet uis & iniuria Satanæ, ſi uindicaſſet hominem ui, præter ius. Quoniam Satan peccauit, ergo damnatus eſt. Sic & homo peccauit, ergo quoq; damnatus eſt. Iam deus uult iure hominem uindicare & Satanam iure uincere. Hic iure certatur & quidem hoc aſtutè: quoniam Satan aſtu decepit hominem, ita uult rurſum fallaciam fallaciæ trudere, & rem aſtu tractare. Propterea quaſi per inſultationẽ promittit ſemen hominis naſcendum, quod eius dolum, dolo, & tamẽ iure uinceret. Hinc Chriſtus dei filius, homo factus, in mundum uenit, per omnia, præter peccatũ, ut homo. Iam cũ Satan ſcit omnes homines propter tranſgreßionem primi hominis eſſe perditos, de alijs omnibus ſecurior eſt, ſemen autem illud, de quo ſibi dictum erat: interim omni data opera obſeruat, ut quoquo modo perdat, offendit hunc Chriſtum planè

ſine peccato natum & uiuere, hunc aggreditur, tentat, ſtruit inſidias, adornat ſuos ſatellites, ut perdant, quàm primum natus erat. Herodes tractat de eius morte, et toties Iudæi, maximè Phariſæi: Tandem ad crucem turpiſsimam mortem, præter ius et meritum adegit. Ita humanitatem Chriſti, ſub qua deitas tecta latebat, deglutiuit. Hic iam iure contenditur. Chriſtus morte damnatus eſt, & tamē non peccauit: quoniam præmium peccati mors eſt: Ergo Satan ius ſuū uiolat, & perdit, & damnatur uiolentiæ, & homicidij: quia morte damnauit deum & hominem præter peccatum, culpam & cauſam mortis. Porrò iam Chriſto, ut innoxio, uis et iniuria illata eſt, eiusq; innocentia uiolata eſt iuſticia manente integra & libera, eam communicat, & gratis dat nobis, & facit nos iuſtos & liberos à morte & peccato & omni accuſatione Satanæ. Ita Satan iure uictus & damnatus, & homo iure uindicatus eſt. Ita ſemen illud Euæ contriuit caput ſerpentis. Porrò autem ut eſſet carnalis noſtræ tranſgreſsionis carnalis pœna, mors relicta eſt carnis pœna, animæ non item. Sic mors non eſt uerè mors, ſed umbra & imago tantum, & quaſi ſomnus, qua morte admoneamur timoris et ſeriæ ſententiæ domini, de ſuis mandatis. Huc ſpectant iam illæ ſententiæ inſultatoriæ, Vbi mors aculeus tuus? Vbi mors uictoria tua? Abſorpta eſt mors in uictoria:

Deo

Deo *autem gratia, qui dedit nobis uictoriam per* Ie*ſum* Chri*ſtum dominum noſtrum.*

À ſimili. Q*uemadmodum ingens piſcis cæteros piſciculos deglutit, ipſe rurſum paruo ineſcato hamo capitur:* Ita Satan *Leuiatan ille, qui nos impoſtura peccati per mortem abſorpſit, per Chriſti humanitatem, diuinitate tectam, captus eſt.*

Oritur *quæſtio, quare eadem gratia non contigit* Satan*æ quæ homini, cum tamen uterq; peccauerunt.* Reſponſio. Satan *ſciens peccauit, & per ſuperbiam deum contempſit, quod eſt peccatum in ſpiritũ ſanctum nunquàm remittendum.* Homo *autem inſciens, dolo deceptus & falſo perſuaſus, peccauit, ideò gratiam cõſecutus eſt.* In*ſuper ſatis tamẽ acres, corpore per uitam uſq; tandem morte dat pœnas inobedientiæ, quod nos admoneat timoris, poſtquam uidemus deum tam offenſum eſſe peccato.*

DIE SECVNDA PASCHAE

Eu*angelium*, Luc*æ ult.*

ET ecce, duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpacio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine Emaus. Et ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus quę acciderãt. Et factum eſt dum fabularentur, & ſe-

cum quærerent,& ipſe Ieſus appropin-
quans,ibat cum illis. Oculi autem illo-
rum tenebantur, ne eum agnoſcerent.
Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones,
quos confertis ad inuicem ambulantes
& eſtis triſtes? Et reſpondens unus,cui
nomen Cleophas,dixit ei: Tu ſolus pe-
regrinus es in Hieruſalẽ, & nõ cogno-
uiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus?
Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt:
de Ieſu Nazareno, qui fuit uir prophe-
ta, potens in opere & ſermone, coram
deo & omni populo. Et quomodo eum
tradiderunt ſummi ſacerdotes & prin-
cipes noſtri in damnationem mortis,&
crucifixerunt eum. Nos autem ſperaba
mus,quod ipſe eſſet redẽpturus Iſraël.
Atqui cum omnibus hic tertium hunc
diem agit,quod hæc facta ſunt. Sed &
mulieres quędam ex nobis, terruerunt
nos,quæ ante lucem fuerunt ad monu-
mentum,& non inuento corpore eius,
uenerunt, dicentes: ſe etiam uiſionem
angelorum uidiſſe, qui dicunt eum ui-
uere.

uere. Et abierunt quidē ex ijs, qui erant nobiſcum ad monumentum, et ita inuenerunt, ſicut mulieres dixerunt, ipſum uerò non uiderunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moſe & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello, quò ibant. Et ipſe finxit ſe longius ire, & coëgerunt illum dicentes: Mane nobiſcum domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies & intrauit cum illis. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Et ipſe euanuit ex oculis eorum, & dixerunt ad inuicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadē hora,

regreſſi ſunt in Hieruſalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cũ illo erant, dicentes: quod ſurrexit dominus uerè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabãt quæ geſta erant in uia, & quomodo cognouerint eũ fractione panis.

EXordium cum ſuis locis liberum eſt.

Propoſitio, Teſtantur duo diſcipuli Chriſtum uerè ſurrexiſſe, quippè quibus apparuit. Et hic uerũ eſt illud. Vbi duo congregati fuerint in nomine meo, illic ero tertius.

Narratio, perſtringit hiſtoriam. Interim dum diſcipuli duo inter eundum inuicem colloquuntur ſollicitè, adeò & dubitantes de Chriſto: ecce adeſt, ſed ignotus & peregrina facie, ut labaſcentes animo erigat, & dubiũ tollat de ſua reſurrectione, non permittit ſuos in errore, accedit, confabulatur familiariſſimè, interrogat, & ſimulat ignorantiam, ut habeat commodam occaſionem ad id quod intendit.

Tu ſolus peregrinus es &c.] Erotema ignorantiæ, an tu ſolus es qui neſcit quæ facta ſunt Hieroſolymæ, omnibus hominibus conſpicua?

Narrant primum de perſona Chriſti, deinde de facto poſtea fidei imbecillitatem declarant.

O ſtulti & tardi corde &c.] Increpatio diffidentiæ

tiæ eſt. Grauiter fert dominus incredulitatē poſt multam doctrinam fidei. Ita Paulus Galatas 3. increpat.

Nónne hæc oportuit pati Christum?] *A neceſſario, & prophetarū uaticinijs, Chriſtus patiendo, ingreſſus eſt in gloriam ſuam, ita oportet nos illum ſequi. Omnes enim qui uolunt piè uiuere in Chriſto, perſecutionem patientur.*

Incipiens à Moſe.] *Confirmat prophetarum teſtimonijs. Hic poteris ſatis diu morari dum recites locos de Chriſto. Geneſ. 3. 12. 22. Deutero. 18. Pſal. 2. 3. 21. 15. Eſaiæ 53.*

Simulabat ſe longius ire.] *Quoniam erat peregrinus.* *Coëgerunt illum.*] *Introire cum ipſis. Locus hoſpitalitatis.*

Inclinata eſt iam dies.] *À tempore. Ingreditur, accumbit, & inter edendum agnouerunt eum, & euanuit, poſtquàm eos fecerat certiores de ſua reſurrectione.* Nónne cor noſtrum &c.] *Effectu uerbis eſt, in omnium piorum mentibus. Eſtq; uerū indicium, & ſignum pij hominis & creduli cordis, ad uerbi dei narrationem.*

Et ſurgentes.] *Præ gaudio, narrant alijs. Nō poſſunt continere piæ mentes, et conticere, quæ de Chriſto percipiunt, erumpunt, prædicant & euulgant. Sic ubicunq; ſyncero animo loquimur de Chriſto, adeſt: quāuis nō ſtatim, niſi in fractione panis, hoc eſt,*

uerbi explicatione, agnoſcitur, ubi ſpiritus datur, qui aperit oculos fidei, quibus ipſe cernitur. Sed agnitus euaneſcit, ne uideatur facie ad faciem, donec reuertatur iudicaturus. Interim miſerijs ſumus expoſiti, cor intus tamen ardet, & ſpiritus exultat Chriſto eiusq́; uerbo cognito, & præ gaudio nunciamus quæ de Chriſto cognouimus. Quod aũt Chriſtus apparet peregrinis, ſignat ipſum tranſitum Paſcha, & nos non habere hic permanentẽ ciuitatem, ſed aliam quærere. Epilogus repetit ſuperiora, & hortatur.

EPISTOLA ACTVVM X.

Conteſtatur Petrus Ieſum Nazarenum Chriſtum eſſe, miſſum eſſe à deo Iudæis, à mortuis reſurrexiſſe & porrò conſtitutum eſſe iudicem uiuorum & mortuorum. Et in nomine eius accipere remiſsionẽ peccatorum. Idq́; omnes prophetas de ipſo teſtari.

APeriens autem Petrus os ſuum, dixit: In ueritate comperi quod non eſt perſonarum acceptor deus, ſed in omni gente: quiſquis timet eum & operatur iuſticiã acceptus eſt illi. Verbum miſit deus filijs Iſraël, annuncians pacem per Ieſum Chriſtum (hic eſt omnium dominus) uos ſcitis uerbum quod prædicatum eſt per uniuerſam Iu-

dæam

dæam, inceptum à Galilæa poſt baptiſmum quem prædicauit Ioannes, quod Ieſum à Nazareth unxerit deus ſpiritu ſancto, & uirtute, qui obambulauit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo: quoniam deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum, & Hieruſalem, quem occiderunt & ſuſpendentes in ligno. Hũc deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed nobis teſtibus præordinatis à deo, qui manducauimus et bibimus cũ illo poſtquàm reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quod ipſe ſit qui conſtitutus eſt à deo, iudex uiuorũ & mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

DIE TERTIA PASCHAE

Euangelium, Ioannis XX.

MAria autem ſtabat ad monumentum foris plorans, dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum. Et uidit duos angelos in albis ſedentes: unum ad caput, alterũ ad pedes, ubi poſitum erat corpus Ieſu. Et dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerũt dominum meum, & neſcio ubi poſuerũt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, et uidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quod Ieſus eſſet. Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans, quod hortulanus eſſet, dixit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam. Dixit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dixit ei: Rabboni, quod dicitur magiſter. Dicit ei Ieſus: Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrum, deum meum & deum ueſtrũ. Venit Maria Magdalene annuncians diſci-

diſcipulis, quod uidiſſet dominum, & hæc dixiſſet ſibi.

EXordium eſt in Concionatoris arbitrio.

Propoſitio. Et hoc euangelium teſtatur Chriſtum reſurrexiſſe, ubi Maria ſollicitè quærit ablatum Chriſtum, & inuenit.

Narratio. Maria flet ablatum Chriſtum. Angeli interrogant cauſam: Illa refert ſublatum eſſe dominum, & neſcire quò poſitus ſit. Adhuc dubitat eũ reſurrexiſſe, dum putat eũ ſublatũ eſſe. Conuerſa uidit Chriſtũ. Dominus nõ relinquit ſuos in errore, et quærentibus ſe adeſt. Hortulani habitu, obſcura & igno ta forma apparet: quia fides eius erat adhuc obſcura et imperfecta. Ergo ſola diffidẽtia obũbrat, & obſcurũ facit nobis Chriſtũ. Fides reuelauit, aperit, oſtendit. Maria.] In ea uoce aperit ſe Chriſtus. Ita cognoſcimus Chriſtum, quando nos nominatim uocat. Quos nomine uocat, ſunt ex ouibus ſuis, & oues paſtoris uocem agnoſcunt, Ioan. 10. Prohibet ſe tangere corporaliter. Cauſa, quia nondum aſcendi ad patrem, tunc uolo tangi & tractari ſpiritu.

Vade dic fratribus.] Ab officio. Fructus Chriſti eſt, nos cum ipſo cõmunẽ patrem habere in cœlis, & nos credentes Chriſtũ habere fratrẽ, & eſſe eius cohæredes æterni regni, Ro. 8. Gal. 3. Ita pij & adflictæ mentes plorant ablatũ Chriſtũ, ſeq; miſeriæ relictos, neſci-

neſciunt ubi inueniant conſolationem, abeunt ad monumentum, ad ſacras literas, Chriſtum ipſum non inueniunt: ſed ſuo loco angelos, euangelicos concionatores, poſt hos, mox ſeſe nobis oſtendit, ſed ſpecie obſcura, tanquàm in ſpeculo & ænigmate. 1. Cor. 13. *Poſtea facie ad faciem. Prohibet interim ſe tangere rationabiliter, ſenſualiter, & humanis traditionibus & obſeruationibus. Porrò uiſo & cognito Chriſto, iubemur nunciare fratribus, quod communem cum ipſo, & per ipſum, patrem & deum habemus in cœlis quo aſcendit, mediator & patronus noſter. Epilogus ſuperiora repetit & exhortatur.*

EPISTOLA ACTO. XIII.

Omnes prophetias docet in Chriſto eſſe expletas.

VIri fratres, filij generis Abraham, & qui in uobis timent deum, uobis uerbum ſalutis huius miſſum eſt. Qui enim habitant Hieruſalē & principes eius hunc non noſcentes, et uoces prophetarum, quæ per omne ſabbatū leguntur, cōdemnato eo impleuerunt. Et nullam cauſam mortis inuenientes in eo, poſtulauerunt à Pilato ut interficeret eum. Cumq́ȝ conſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta erant, deponentes

tes eum de ligno poſuerunt eum in monumento. Deus autem ſuſcitauit eum à mortuis, qui uiſus eſt per dies multos his qui ſimul aſcenderant cū eo de Galilæa in Ieruſalem, qui uſq; nūc ſunt teſtes eius ad populum. Et nos uobis annunciamus promiſſionem quæ ad patres noſtros facta eſt, quod hanc deus adimpleuit nobis filijs illorum reſuſcitans Ieſum.

DOMINICA PRIMA POST *Paſcha. Quaſimodo geniti*

Euangelium, Ioan. XX.

Cum ergo ſero eſſet die illo una ſabbatorū, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Ieſus, & ſtetit in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, uiſo domino. Dixit ergo eis iterum: Pax uobis, Sicut miſit me pater, & ego mitto uos. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctū. Quorum

rum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cũ eis, quan do uenit Ieſus: Dixerunt ergo ei alij di ſcipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius fi xuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credã. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis, uenit Ie-ſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio & dixit eis: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit: Dominus meus et deus meus. Dixit ei Ieſus: Quia uidiſti me, crediſti. Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorũ, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro. Hæc autem

autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius.

EVangelium eſt Didaſcalicum, quo apertis ſignis Chriſtus declarat ſuam reſurrectionē, & ſe eundē eſſe, quem Iudæi crucifixerunt. Exordiū eſt liberū, aut ab humana imbecillitate, et incōſtantia in cruce.

Propoſitio. Chriſtus apparet trepidis ſuis & terrore cōcuſsis diſcipulis, conſolatur eos, non reijcit ut incōſtantes, deficientes, & turpiter negantes. Poſtea Thomæ incredulitatē apertis argumentis conuincit. Narratio à tēpore. Cum ſero eſſet.] Diſcipuli nōdū ſpiritu fortiore cōfirmati, metuunt furibundos Iudæos, non ob ſua malefacta, ſed quod Chriſto adhæſerunt. Eædē adhuc ſunt cauſæ quare impij pios perſequuntur. Et pij ab impijs metuunt. Caro crucē horret, & uitæ ſuæ timet. Venit Ieſus.] Non deſerit ſuos dominus, conſolatur trepidos media ſub cruce, pacem adfert, interim dum mundus furit, certiſsimū ſui aduentus & præſentiæ ſignū. Defini pacē, & diuide Chriſti & mundi pacē. Aliâs, Pax uobis, ſalutandi phraſis eſt apud Iudæos, ut Græcis χαίρε.

Oſtendit ei manus.] Ad ſuæ reſurrectionis confirmationem, ſcilicet ſe eſſe eum quem Iudæi crucifixerunt: cuius rei argumento ſunt uulnera à Iudæis in cruce infixa, ne ſuſpicentur ſe eſſe phantaſma. Porrò

uulnerum oſtenſio, eſt argumentum profundæ ſuæ erga nos dilectionis, quæ pro nobis ſuſcepit & ſuſtinuit, adeò & mortem ipſam non abhorruit.

Gauiſi ſunt &c. *Conſequentia præſentiæ & cognitionis Chriſti eſt pax & gaudium. Expone quid uidere Chriſtum. Quid gaudium.*

Sicut miſit, me pater.] *Prædicare Euangelium regni, & ferre crucem, ad quæ opus eſt ſpiritu ſancto, quem ipſis afflat, traditq; prædicantiū efficacia, & poteſtatem ligandi ac ſoluendi peccata. Hunc locum poteris amplificare ſententijs & exemplis ſacræ ſcripturæ, Actor. 5. de Anania. Et 1. Corinth. 5. Thomas autem Didymus ſeu gemellus, credere non uult alijs ſimpliciter referentibus Chriſtum reſurrexiſſe & uiuere niſi uideat & tangat. Refer nimirū craſſos Chriſtianos: cuiuſmodi multi ſunt, qui ſimplicibus uerbis credere nolunt, niſi apertis ſcripturæ teſtimonijs, argumentis, & locis conuincantur, adeò ut uidere & palpare poſſent, ſunt utiq; & hi diſcipuli Chriſti: nam conuicti confitentur Dominum & Deum Chriſtum.*

Vidiſti me Thoma.] *Iam conuictus es, & dubitare de mea reſurrectione non potes. Eſt taxatio incredulitatis.*

Beati.] *Commendatio fidei eorum, qui ſolis uerbis & promiſſionibus, non ſignis, prodigijs, & miraculis*

raculis perſuaſi, crediderunt. Thomæ autem incredulitas iuuat noſtram fidem de Chriſto, & ſolatur fidei noſtræ imbecillitatem, confunditq; incredulos Iudæos. Iam Chriſtũ reſurrexiſſe, negare nemo poteſt: nam Thomas adeò tetigit & contrectauit.

Multa quidem.] Præteritio eſt, quia ſubijcit non opus eſſe relatu ſingula miracula Chriſti, ſed ſolam fidem in ipſum ad beatitudinẽ ſufficere, egregia conſolatio ſimplicibus ruſticis & plebeis, qui neſciunt præter ſolum, Chriſtum.

Hæc aũt ſcripta ſunt.] Cauſa finalis eſt doctrinæ & miraculorũ ſolum ut credamus & confirmemur fide: ſcilicet Ieſum eſſe Chriſtum ſeu Meßiam filium dei, ſaluatorem noſtrum, per quem habemus uitam æternam, quæ ſumma eſt Chriſtianiſmi. Epilogus repetit ſuperiora, & hortatur.

EPISTOLA I. IOAN. V.

Solam fidem in Chriſtum uincere mundum. Et *Chriſtum uenire per aquam & ſanguinem:* Et *tria dare teſtimonium, ſpiritum, aquam & ſanguinem,* hoc *eſt, Verbum dei,* Baptiſmum, & Euchariſtiam.

QVoniam omne quod natum eſt, ex deo uincit mundum. Et hæc eſt uictoria quæ uincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui uincit mun-

r dum,

dum, niſi qui credit quod Ieſus ſit filius dei? Hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinẽ Ieſus Chriſtus. Non per aquam ſolum, ſed per aquam et ſanguinem. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quod Chriſtus eſt ueritas. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant: Spiritus, Aqua & ſanguis, & hi tres ſimul ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimoniũ dei maius eſt. Quoniam hoc eſt teſtimonium dei, quod maius eſt quod teſtificatur de filio ſuo. Qui credit in filium dei, habet teſtimonium in ſe. Qui uerò non credit deo, mendacem, facit eum: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatur deus de filio ſuo. Et hoc eſt teſtimonium quoniam uitam æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius eſt. Qui habet filium dei, habet uitam: Qui non habet filiũ dei, uitã nõ habet.

DOMINICA SECVNDA POST *Paſcha, Miſericordias Domini*

Euangelium, Ioannis X.

Ego

EGo ſum paſtor bonus: Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autẽ, & qui non eſt paſtor cuius non ſunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eũ de ouibus. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Sicut nouit me pater, et ego agnoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illos oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus paſtor.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. Exordium eſt liberum. Propoſitio, De ueris et falſis paſtoribus, de pijs & impijs perſecutoribus &c. Conſtat multis metaphoricis definitionibus, quas ſi obſerues facilè erit. Chriſtus ipſe definit ſingula, & cuiuſq; officia ſeu effectus & cauſas indicat, & ſeſe pro exemplari boni, & ueri paſtoris exponit, cæteros, extra ſe, mercenarios, fures, latrones, & lupos eſſe declarat.

Narratio. Ego ſum paſtor bonus.] Prædicatum ſui eſt, & exemplar omnium concionatorum, Epiſcoporum, & quicunq; eius uicem ſuſtinent, & miniſtri ſunt. 1. Corinth. 4.

Bonus paſtor.] Definitio eſt ab officio, repete ſuperiora: educere, præire, paſcere & defendere: poſtremo animam pro ipſis ponere. Paſcua doctrina fidei, uerbum dei eſt cum à doctrina ad opera ducit. Præit dum facit quod docet, & in omnibus ſeipſum præbet exemplum bonorum operum, in doctrina, integritate, & grauitate, Titum 2. 1. Tim. 3.

Mercenarius autem.] Deſcriptio mali paſtoris ab Antitheſi, qui quidem paſcit & docet, ſed cauſa mercedis, & commodi. Sunt qui prædicant uerbum, & ſyncerè quidem, ſed lucri, honoris, gloriæ, popularis gratiæ, & uoluptatis cauſa, hi lupos non abarcent, fugiunt ubi uenerit perſecutio, & commodum non ſequitur, de his lege Hiere. 23. Ezech. 32. Lupi ſunt perſecutores Euangelij ſectarij, hæretici, hi lacerant, & diſpergũt oues Chriſtianas. Oues pij ſunt, ſolum paſtore Chriſtum agnoſcentes. Aliâs oues intelligit gentes ad fidem conuertendas, ita ut fiat unũ ouile eccleſia, & unus paſtor fuit Chriſtus. Singula poteris per circunſtantias perſonarum amplificare. Epilogus repetit ſuperiora, paſtorem, mercenarium, lupum, oues, ouile, &c.

EPI-

EPISTOLA I. PETRI II.

Vt ſequamur Chriſtum in omnibus, quemadmodum oues paſtorem, quoniam ipſe paſtor, & epiſcopus eſt animarum noſtrarum.

IN hoc enim uocati eſtis. Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius. Qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius, qui cum malediceretur, nõ remaledicebat, cum pateretur, non cõminabatur. Tradidit autem iudicanti ſe iuſte. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſticiæ uiuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oues errantes, ſed cõuerſi eſtis nunc ad paſtorem, & epiſcopum animarum ueſtrarum.

DOMINICA TERTIA POST PAſcha Iubilate. Euangelium, Ioan. XVI.

MOdicum, & iam nõ uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me, quia uado ad patrẽ. Dixerunt ergo quidam ex diſcipulis eius ad inuicem:

Quid eſt hoc,quod dicit nobis, modicum & non uidebitis me,& iterum modicum & uidebitis me,quia uado ad patrem? Dicebāt ergo:quid eſt hoc,quod dicit nobis,modicum? Neſcimus quid loquitur. Cognouit autem Ieſus, quod uolebant eum interrogare,& dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quod dixi, modicum & uidebitis me. Amē amen dico uobis, quod plorabitis, & flebitis uos,mundus autem gaudebit. Vos autem contriſtabimini,ſed triſticia ueſtra uertetur in gaudium. Mulier cum parit, triſticiam habet, quia uenit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit anguſtiæ propter gaudium,quia natus eſt homo in mūdum. Et uos igitur nunc quidem triſticiam habetis. Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollit à uobis. Et illo die me non interrogabitis quicquam.

EVangelium eſt generis Didaſcalici & Deliberatiui. Docet crucem, & hortatur ſub cruce.

Exor-

Exordium eſt liberum, Aut à ſorte piorum.

Propoſitio de cruce, ſeu triſticia & conſolatione piorum. De *mundi fœlicitate, & carnis ignorantia, de ijs quæ ſunt ſpiritus dei.*

Narratio. Modicum & iam.] *Simpliciter intelligit de tempore paßionis & reſurrectionis ſuæ, ac ſi diceret:* Paruo *tempore, per tres tantum dies, dum crucifigar, et in monumento recondar, non uidebitis me.* Iterum *modicum uidebitis me, à tempore reſurrectionis, uſq; ad tempus aſcenſionis meæ, quando corporaliter diſcedam à uobis ad patrem.*

Quid eſt hoc.] Rudes *et inexercitati ſunt diſcipuli & adhuc craßiores: adeò non intelligunt de quibus toties ante dixit, et ne quidem carnalia intelligunt, quanto minus ſpiritualia* Humanæ *ruditatis ſpecimen eſt, contra liberum arbitrium.*

Cognouit *quod.*] *Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe priorem oſtendat. Sapien. 6.* Repetit *eadem uerba.* Quid *modicum ſit, expone, relatione æterni.* Amen *amen dico uobis.*] Iam *illud modicũ latius exponit: ſcilicet crucem eſſe ferendam per totum uſq; uitã, atq; id eſſe modicũ collatione æternitatis, & poſtea perpetuò conſolari in uita æterna.* Deſcribe *crucem, & diuide in ſuas ſpecies.* Diſcerne *crucem piorũ & impiorũ per occupationem.* Item *quid plorare & flere? ſunt relationes, adfectus, triſticiæ ſeu crucis.*

Mundus contra gaudebit.] Quid mundus, quid gaudere? *Sed triſtitia ueſtra.*] In die Penthecoſtes, & media ſub cruce. Euangelica & conſolatoria ſententia eſt ad ſuperiora. Confirma ſententijs, Eſaiæ 14. In momento &c. Matth. 5. Beati qui lugent. Rom. 8. Non reputo &c. À neceſſario. Crux pijs in fatis eſt. 1. Timo. 3. 1. Petri 2. & 5.

Mulier cum parit.] Aptiſsima ſimilitudine res piorum, & quæ ante dixit, declarat. Expone & confer quid ſit hora, quid puer natus. Hic poteris obiter excurrere in admonitionem, exhortationem, & conſolationem uterum geſtantium, & parturientium: ea enim eſt crux muliercularum. Item de obſtetricum officio.

Et uos nunc.] Applicat ſimile ad omnes pios, ineuitabile fatum eſſe crucem: & omnes qui uolunt piè uiuere in Chriſto perſecutionem oportere pati. Conſolatorius locus eſt omnibus pijs, dum ſciunt crucem, erumnas, & omnes ſuas moleſtias eſſe in concilio dei patris. Præoccupanda eſt aũt crux impiorum, quam pro ſuo ſcelere ferunt. 1. Petri 4. Nemo ueſtrum patiatur ut homicida, &c.

Nunc quidem.] Dum eſtis in mundo, & in hac uita, dum abſum, & auferor à uobis, interim uos lex intus, & crux foris præmit. Abeſt Chriſtus, dum ſinit nos tentari, perſecutionem pati, & uarijs erumnis,

moleſtijs,

moleſtijs, & periculis exponi & angi. Dauid appellat deum dormire, receßiſſe longè, et auertiſſe faciē.

Iterum uidebo uos.] In die Penthecoſtes per paracletū. Reuertitur ad nos Euangelica conſolatione per ſpiritum ſanctum, aut quando nos eximit ex tentationibus, aut penitus de mundo tollit per mortem, aut iudicium extremum.

Et gaudebit cor ueſtrum.] Fructus reditus Chriſti eſt gaudium, conſolatiò, & ſolida leticia. Quod inquit, gaudebit cor. Significat intimum ſolidum, & perpetuum, & uerum gaudium, quod nemo tollere poteſt. Non tantum os, ſed & cor gaudebit. Mundi quidem gaudium fucatum, falſum, breue, & oris gaudium eſt. Gaudet quidem, dum potitur optatis, dum ſuccedunt omnia pro ſententia, & uidet ſua uota in rebus malis. Defini, quid gaudium. Gaudemus, dum aſſequimur quod uolumus, et potimur optatis, fruimurq; rebus bonis. Et hic conſolatorius locus eſt. Quod dominus à tentatione aliquando conſolatur etiam in hac uita, & media ſub cruce. Nec ſinit ſuos, fidelis ille deus tentari, ſupra quàm ſufferre poſſunt. Et nouit ſuos de tentatione eripere: Dominus deducit inferos & reducit. Poteris hunc locum amplificare & illuſtrare, ſententijs, exemplis & hiſtorijs ſcripturarum, quàm diu libuerit.

In illa die.] Intelligas de Penthecoſtes, quando

dabatur ſpiritus qui ſuggerit omnia, & docet deum agnoſcere. Non interrgabitis.] *Quia ſpiritus ipſe uos docebit omnia, eritis omnes theodidacti. Itẽ à tentatione ſemper datur maior dei cognitio, accedunt Angeli, Matth. 4. Tandem in reſurrectione futura, ablatis omnibus tentationibus, abſterſis omnibus lachrymis, cognoſcemus omnia, uidebimus deum à facie ad faciem, & cognoſcemus uti cogniti ſumus, erimusq́; ut ipſe eſt. 1. Corinth. 13.*

Epilogus repetit ſuperiora, piorum ſcilicet exiguam triſticiam conuertendam eſſe in ſempiternam læticiam. Contra impiorum breue gaudium commutandum eſſe in æternum & perpetuum cruciatum & horrorem. Conſolatur præterea, & exhortatur pios, & commonet, præcauetq́; impios.

EPISTOLA I. PETRI II.

De tolleranda Cruce.

CHariſſimi, adhortor uos tanquam aduenas et peregrinos, ut abſtineãtis à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem ueſtram inter gentes habentes bonam, ut obtrectantes uobis tanq̃; malefactoribus, cõuicti bonis operibus ueſtris glorificent deum in die uiſitationis.

Sub-

Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter dominum: Siue regi tanquàm præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis, ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorũ. Quia ſic eſt uoluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudẽtium hominum ignorantiam, quaſi liberi, & non uelamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui dei. Omnes honorificate, fraternitatem diligite: deum timete, regem honorate. Serui ſubditi eſtote in timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam iniquis. Hæc eſt enim gratia ſi propter dei conſcientiam ſuſtinet quis dolores, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gratia, ſi propter delicta colaphos ſuſtinetis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud deum.

DOMINICA IIII. POST PASCHA

Cantate Euangelium, Ioannis XVI.

VAdo ad eum, qui miſit me, & nemo ex uobis interrogat me, quò uadis

uadis. Sed quia hæc loquutus ſum uobis, triſticia impleuit cor ueſtrum: Sed ego ueritatem dico uobis, Expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos, Si autem abiero, mittam eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſticia & de iudicio. De peccato quidem quod non crediderunt in me: de iuſticia uerò, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me: de iudicio autem, quod princeps huius mundi iudicatus eſt. Adhuc multa habeo, uobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, Cum autem uenerit ille, ſpiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem, Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ uentura ſunt annunciabit uobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis, Omnia quæcunque habet pater, mea ſunt: Propterea dixi quod de meo accipiet, & annunciabit uobis.

Euan-

EVangelium eſt generis Didaſcalici, docet ſpiritū ſanctū, & eius ſigna. Exordium ſemper ſit breue & aptum. Propoſitio. Chriſtus uadit ad patrem, & ſuo loco mittit ſpiritum paracletum à patre, eius externa ſigna, & officia, per quæ cognoſcatur & diſcernatur ab erroneis ſpiritibus indicat.

Narratio, euangelij uerba declarat.

Vado ad eum.] Vadit ad patrem Chriſtus, ut capeſcat ſuum regnum ſpirituale, & cœleſte, ibiq; ſit noſter propiciator, interceſſor & ſummus pontifex, ſimpliciter, ut ſit noſter rex & ſacerdos. Et ut ſua abitione nos conſoletur, ſcilicet quò abierit, nos eſſe ſecuturos, ſed eodem modo quo Chriſtus, per crucem ſcilicet.

Nemo ex uobis.] Chriſtus hic occaſionem diſcipulis dedit, quærendi de eius regno ſpirituali, ne carnale expectarent: Sed eorum animus occupatus, & obrutus eſt triſtitia ex mentione de cruce, propterea dicit. Sed quia hæc.] ſuperiora ſcilicet.

Dixi uobis.] Triſtitiæ cauſa crucis mentio eſt: nam caro abhorret crucem, & gloriam adfectat ſine cruce. Sed ueritatem dico &c.] Veritate ſua confirmat nobis expedire & utile eſſe, quod abeat Chriſtus. Si non abiero.] Argumentum hypotheticum eſt, Ergo Chriſtus nobis promeretur & mittit ſpiritum ſanctum à patre, Spiritum ſanctum, paracle-

racletum, conſolatorem et hortatorem appellat re-latione officij. Nam ablato Chriſto, triſtamur, & ua rijs moleſtijs & anguſtijs exponimur & obruimur. Propterea paracleto opus erit qui confirmet, conſer uet, conſoletur & exhortetur nos, ne deſpondeamus animos adoriente & inſtante nos Sathana, mundo, & carne, ſuis in tentationibus. Non conſolantur niſi triſtes: Oportet igitur nos triſtari, ſi cõſolatore opus erit. Ea eſt fortuna aduerſa, & conſolatio rurſum omnium piorum in hoc mundo.

Si autem abiero.] Certificatio conſternatorum diſcipulorum eſt. Quàm certo abiero, tam certo mit tam. Iam abijt, propterea miſit. Veræ & certæ ſunt promiſsiones dei.

A cauſa efficiente ſpiritus. Porrò cuiuſmodi ſpiritus erit, aut unde? Quò abijt, inde mittet. Abijt ad patrem, ergo à patre mittet: Sequitur paternum eſſe ſpiritum ab effectu: Ergo erit mitis, benignus, placabilis, miſericors, patiens, longanimis, cõniuens, man ſuetus, ſuauis, lenis, exorabilis, plenus gratiarum, do norum & uirtutum, conſolatorius, exhilarans, hortatorius, benignè obiurgans, caſtigans & admonens peccatores ad pœnitentiam, & reſipiſcentiam, ut pater filios. Summa, erit planè paternus ſpiritus, eas circunſtantias poteris ipſe colligere & amplificare. Vnde perſpicuè cernimus quam nobili & ingenti

theſauro

theſauro nos donauerit Chriſtus, & eum damnum ſui carentiæ nobis recuperauit.

Et cum uenerit ille.] Deſcribit ſpiritum, & addit eius iudicium (ne quoſuis ſuſcipiamus. 1. Ioan. 4.) À ſignis externis, ſcilicet quod arguat mundum dum de peccato, iuſticia & iudicio. Quod ſi arguet, ergo mundus non rectè ſentit de peccato, iuſticia & iudicio. Singula ipſemet exponit & declarat. Primum defini quid ſit mundus, & quis eius princeps.

De peccato.] Ergo incredulitas ſummum peccatum, fons & origo peccati eſt. Contra, credulitas operit & extinguit peccatum. Qui natus eſt ex deo, hoc eſt, qui credit non peccat, non imputatur ei peccatum. Mundus autem effectum peccati, non cauſam efficientem peccati iudicat peccatum: nam quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt, Roma. 4. Illud poteris amplificare latiſsimè. Defini quid ſit peccatum. Eſt ſtatutæ legis tranſgreſsio & delictum quod ponitur.

Porrò deus pater ſtatuit, ut in Chriſtum credentes ſaluemur. Hæc eſt uolũtas patris, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eũ, habeat uitam æternã. Itẽ, Ut credatis in eũ quẽ ipſe miſit: Et qui credit in filium habet uitã æternam, qui uerò incredulus eſt filio, nõ uidebit uitam, ſed ira dei manet ſuper eũ. Cauſa eſt, quia ſolus Chriſtus peccatum tollit: Ergo qui nõ credit in Chriſtum, eius peccatũ manet. Cætera autem

peccata

peccata quæ etiam credentes facimus hac uita ex carnis fragilitate, non imputantur nobis per Chriſtum. Porrò autem peccatum eſt ipſa innata malicia, & procliuitas ad peccandum ex Adam, originale & hæreditarium peccatum, & quidam hoc non imputatur, modo credas in ſemē illud promiſſum Adæ, Chriſtum. Summa ſummarū, cauſa efficiēs peccati, pœnæ & damnationis incredulitas eſt. Iam obiter defini, quid ſit fides, quæ cauſæ, qui effectus, quotuplex. Contra, quid incredulitas, quæ cauſæ &c.

De iuſticia uerò.] Spiritus ſanctus arguet mundum de iuſticia. Eſt ergo, alia mundi alia dei & ſpiritus, iuſticia. Defini quid ſit iuſticia, quæ cauſæ, qui effectus, quæ officia, quæ ſpecies, Quotuplex Ciuilis, Phariſaica & fidei. Singulæ quæ ſint, declara. Inde iuſtus eſt, qui fecit quod debet, qui facit cuiq; ſuum, qui nō damnatur à iudice. Porrò ciuilis iuſticia, qua legibus iuri & magiſtratui ſatisfacio, non ſaluat coram deo. ſed habet hic ſua terrena merita, Rom. 13. Benefac & habebis laudem. 1. Pet. 2. Gala. 3. Qui facit legem, uiuit per illam. Quamuis hæc iuſticia ex deo eſt conſtituta, ad pacem & honeſtatem inter homines conſeruandam, non tamen data eſt, quæ iuſtificet. Alioqui iuſti eſſent incredulæ gentes, Plato, Socrates, Cicero & ſeueriſsimi cultores iuſticiæ Romanæ, &c.

Porrò

Porrò iuſticia Phariſaica, eſt legis, ſeu operū iuſticia, ex obſeruatione mandatorum dei, ſecundum literam in Decalogo, ceremonijs & iudicijs, quæ etiam non iuſtificat, nec data eſt quæ poſſet iuſtificare, ſed ut declarat homini peccatū, iram dei, & horrendum iudicium, & ita manu ducet ad Chriſtum: de qua iuſticia Paulus ſatis copioſe ſcribit paßim ſuis epiſtolis, maximè ad Ro. & ad Gala. cum inquit: Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non coram deo. Arbitramur hominem non iuſtificari ex operibus legis, ſed ex fide in Ieſum Chriſtum. De hac legis & operum iuſticia pendebant & intumeſcebant omnes Phariſæi, & noſtri operum iuſticiarij ſub Papæ regno, totq; diuerſas traditiones & obſeruationes bonorum operum, quibus iuſtificarentur & demererentur uitam æternam excogitârunt. Ita caro & humana ratio æſtimat deum ſecundum ſuam opinionem, putat, ſi coram mundo & ſuo iudicio iuſtè & inculpatè uixerit externè, etiam iuſtam ſe eſſe coram deo, neglecto interim impio & timoris dei uacuo corde. Inde ſpiritus ſanctus arguet & corriget mundum, iudicabit excellentiorem eſſe iuſticiam quæ coram coram deo ualeat, ut inquit Chriſtus: Niſi abundauerit iuſticia ueſtra plus quàm ſcribarum & phariſæorum non intrabitis in regnū cœlorum. Nempè ſe eſſe ueram noſtram iuſticiam,

qui factus eſt nobis à deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio, & redemptio: qui peccata noſtra pertulit, & dolores noſtros portauit, cuius liuore omnes ſanati ſumus: Nec eſt datum nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quàm in nomine Ieſu Chriſti: cuius teſtimonij plena ſunt omnia & ueteris & noui Teſtamenti. Inde eſt quod dicit: Quia uado ad patrem, opere ſalutis expleto, ut ibi ſim ueſter interceſſor & propiciator apud patrem. Porrò eam iuſticiam quæ eſt in Chriſto, non conſequimur niſi per fidem in Chriſtum, qua concipimus quicquid eſt & habet Chriſtus, iuſticiam, uitam æternam, & hæreditatem regni cœlorum. Ita uerum eſt quod inquit Habacuc, & ex eo citat Paulus: Iuſtus ex fide ſua uiuet. Eſt ergo noſtra iuſticia, fidei iuſticia, & non ciuilis, nec phariſaica, ſeu legis aut operum iuſticia.

De iudicio autem arguet ſpiritus mundũ, quod non iudicat ſeu condemnat eum, qui iam iudicatus et damnatus eſt princeps mundi Satan, per Chriſti mortem. Vnde uidemus, quod mundi iudicium ſit: nempe quod diabolica diuina æſtimat: quoniam transfert ſe plerũq; Satan in angelũ lucis. Ita planè excæcatus eſt mundus, ut etiã uidemus in ſapientiſſimis et probiſſimis phariſæis. Dum aũt Chriſtũ in Beelzebub principe dæmoniorũ eijcere dæmonia, appellant Samaritanũ, & dæmoniũ habere. Satis conſpicuus erit hic

locus.

locus, modo cõſideremus noſtri Papiſtici ſeculi ſtatũ, in quo præter iudiciũ diabolica, diuina æſtimauimus. Poteris hoc ſatis copioſe amplificare. Hoc eſt erit ſpiritus ſancti uerũ iudiciũ & ſignũ externũ, ut ubicunq; & in quibuſcunq; Concionatoribus hoc offenderimus, uerè ſciamus ibi eſſe, loqui, arguere, & docere ſpiritũ ſanctũ, ad differentiã & euitationẽ erroneorũ ſpirituũ. Adhuc multa habeo.] Eſt præciſio narrationis, quæ cætera docenda relinquit ſpiritui uenturo: nam diſcipuli carnales adhuc, ſpiritualia non intelligunt. Spiritus, ſpiritualia docebit. Præoccupabis, & refutabis traditiones Papiſticas, & totũ Monachatum, & falſas doctrinas, quas ex hoc loco cõfirmat. Nec poteris acrius & conſtantius refutare quàm ex ſequẽtibus, ubi inquit Chriſtus: Spiritus ille ueritatis docebit uos omnẽ ueritatẽ. Porrò, certũ eſt Chriſtũ & uerbũ dei eſſe ueritatẽ: Ergo ſolũ Chriſtum & dei uerbũ docebit, quæ uera ſunt omnia: Nã ueritas eſt, quando res cũ oratione cõſentit, aut quando res uerbis reſpondet. Quod cõperimus in Chriſto et in omni uerbo dei, in hominum traditionibus non item. Id poteris ſatis copioſe explicare. Nõ loquetur à ſemetipſo. Nõ cõfinget ſubinde noua, uentura prædicet. Ille me clarificabit.] Ab officio. Me ſolum prædicabit, docebit et præclarum ſaciet. Omnia hæc ſunt argumẽta ab Antitheſi malorũ ſpirituũ q loquũ

tur à ſemetipſis, & falſa tamen. Non *clarificant* Chri*ſtum, ſed humanas inuentiones & merita.*

Quæcunq; habet pater mea ſunt.] Ergo *& noſtra in* Chriſto*: quoniam quæ* Chriſtus *habet noſtra ſunt, & totus ille* Chriſtus *noſter eſt.* Et *hæc amplificabis.* Pioru *diuitiæ abſconditæ in hoc mundo,* Rom. 8. Epilogus *repetit ſuperiora, & exhortatur.*

EPISTOLA IACOBI I.

Spiritum ſanctum donum optimum & perfectum, cœlitus à deo dari.

OMne donum bonū, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec conuerſio obſcurans. Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus primitię creaturæ ſuæ. Itaq; fratres mei dilectiſſimi, ſit omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri iuſticiam dei non operatur. Ideò abijcientes omnem immundiciam & abundantiam maliciæ, in māſuetudine ſuſcipite in uobis plantatum uerbum, quod poteſt ſaluare animas ueſtras.

DOMI-

DOMINICA QVINTA POST Paſcha, Vocem iucunditatis Euangelium, Ioannis XVI.

AMen amen dico uobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, Vſque modo non petiſtis quicquàm in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium ueſtrum ſit plenũ. Hæc in prouerbijs locutus ſum uobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar uobis, ſed palam de patre meo annunciabo uobis. In illa die, in nomine meo petetis. Et nõ dico uobis quod ego rogabo patrẽ de uobis. Ipſe enim pater amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis, quod à deo exiui.

EVangelium eſt generis Didaſcalici & Deliberatiui. Euangelij recitatiò præcedat omnia.

Exordium eſt liberum, aut à piorum neceßitatibus & earum remedijs, oratione ſcilicet. Propoſitio de oratione, & cauſa paterni amoris erga nos, ſcilicet de fide in Chriſtum. Narratio ab uniuerſali.

Quicquid petieritis patrem.] Eſt egregia dei promißio in omnibus neceßitatibus. Præoccupa, quod uniuerſale, non inconuenientia et impia oran-

da, comprehendit. Pij pia rogant. Peccatores deus nõ exaudit. A definitione orationis. Eſt relatio neceſſitatis & boni adfectus erga deũ. A cauſis, Materia & forma uaria eſt. Cauſa efficiens eſt neceſſitas, praeceptum, promiſſio dei & fides. Illaeq; ſunt partes. Ab officio, conſtantia, perſeuerantia & ſpes. Ab effectu.

Accipietis.] Dabitur gaudium perfectum. Certitudo & conſequentia orationis. A potentia. Quiduis poteſt oratio, quod pateſcet in exemplis poſtea. A diffinitione. Tot ſunt ſpecies & partes orationis, quod ſunt neceſſitates & moleſtiae. Ita poteris ſatis copioſe diſtribuere & amplificare. Chriſtus ſuã orationem in ſeptem partes diſtribuit, quae uniuerſas noſtras neceſſitates complectuntur, quas poteris obiter perſtringere. Praeoccupabis ambiguitatẽ, & indignitatem noſtram, quod dominus praecepit orare, & Chriſtus ipſam orationẽ praeſcribit, ut ſciamus quid & quomodo oremus. A doctrina ſequitur exhortatio. Ab honeſto. Quia deũ rogamus, & deus praecepit rogare. Itẽ & pia petimus. Ab utili. Quia accipimus & exaudimur. A neceſſitate, interna & externa, eaq; uaria. A iucundo. Quia cũ deo patre loquimur. A facili. Tantum rem ipſam ex mero adfectu et fide exponere in quouis loco, ſine reſpectu perſonae, indignitatis, & peccatorum. Ab antiquitate. Omnes pij rogauerunt, & ſunt exauditi. Confirmabis ab

exemplis

exemplis.Nemo ſperauit in deū & derelictus eſt.Hic poteris ſatis copioſam, & quantamlibet congeriem orationū recitare. Ab Abraham Gene.18. Iſaac Gene.25.Iacob, Gene. 28. Paßim de Moſe in ſuis libris de aqua,pane,carnibus.De Samſone.Iudicum 15. de Anna 1.Reg.1.et 2. De Dauid extat totus liber Pſalmorum ſuorum.De Salomone 3.& 8.De Helia 3.Regum 18.De Elizeo 4.De Ezechia 4.Reg.20. De Ioſaphat Para.20.De Niniuitis,Tobia,Iudith.Item in nouo Teſtamento.De leproſis,hydropicis, paraliticis,dæmoniacis,cœcis,lunaticis, febricitantibus, de Centurione, Regulo, Iairo, Syropheniſſa Cornelio &c. À parabolis, Lucæ 11. & 18. Item, à Sententijs innumeris.Inuoca me in die tribulationis, & exaudiam te &c.Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum &c.Deſiderium pauperū exaudiuit dominus,præparationem cordis audiuit auris tua. Et erit antequàm clament, ego exaudiā. Iuxta eſt dominus his,qui tribulato ſunt corde. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Petite & accipietis, Pulſate & aperietur uobis. Orate pro inuicem, ut ſaluamini. Multū enim ualet deprecatio iuſti aßidua,Iacob.5.Ab exemplo Eliæ confirmat. Antitheſis ſuperiores locos inuertit et ſubminiſtrat æque multa argumenta.Confutabis hypocriticam orationem, de qua Chriſtus Mat.6.Lucæ 18.de Phariſæo.

Hos locos poterit bonus Concionator obiter, breuiter, pro tempore, & neceßitate perſtringere, aut pauciores aut ampliores addere pro ſua induſtria & ingenio. Nam *ualde egregia & ſalutaris & neceſſaria concio eſt de oratione.* Porrò *quæ reſtant* Euangelij *uerba poteris obiter percurrere, & pro ſuperiorum confirmatione tractare.*

Amen *amen dico uobis.*] Egregia *promißio & certificatio eſt orationis, ne quid dubitemus.* Ac *ſi diceret:* Non *negabit uobis pater, quicquid ex nomine meo rogaueritis, tam charus ſum patri, & uos chari eſtis patri, ſi mihi per fidem adhæſeritis.* Tam *liberum acceſſum habemus ad deum quaſi filij ad patrem, ſed id per ſolum unigenitum filium patris* Ieſum Chriſtũ *unicum mediatorem, interceſſorem & propiciatorem noſtrum,* Rom. 3. Qui *excludit alios omnes ſanctos, patronos et aduocatos.* Differẽtia *eſt.*

Si petieritis.] Ergo *ex alio nomine petentes non exaudiet, nec dabit.* Item, *ſunt duo correlatiua, petere & dare.* Ab *officio.*

Non *dabit.*] Niſi *petieritis.* Oportet *patrem te petere, deinde ipſe dabit,* Nec *dabit, niſi petieritis per nomen* Chriſti.

Hactenus *non poteſtis.*] Quia *cauſa orationis, neceßitas, & fides in* Chriſtum, *defuit:* Ergo *nihil petimus præter nomen* Chriſti.

Petite

Petite, accipietis.] Exhortatio eſt iam petite, de oratione recta edocti, iam exaudiet pater.

Vt gaudium ueſtrum] Indicat quid ſit petendũ: nempe ut per Chriſtum ablato peccato, conſcientia ſit tranquillior & certior de uita æterna, quod gaudium eſt perfectum.

Hæc in prouerbijs. Veſtra relatione, præter Chriſti cognitionem & reuelationem ſpiritus ſancti omnia ſunt prouerbia & obſcura oracula.

Venit hora &c.] Cum dabitur ſpiritus ſanctus.

In illa die.] Pentecoſtes, de quo ante dixi cum dabitur ſpiritus ſanctus. In nomine meo petetis, per ſpiritum ſanctum uere de me edocti.

In illa die &c.] Emphaſis eſt. Tum primũ uere quis ſim cognoſcetis per ſpiritum, & tum primum uere in nomine meo petetis, ut per uerum mediatorem & interceſſorem: Ergo Chriſtus non cognoſcitur, nec uere per Chriſtum niſi per ſpiritum ſanctũ petitur: Nemo poteſt dicere Ieſum Chriſtum, niſi per ſpiritum ſanctum.

Ille me clarificabit.] Vt dixit ante.

Et non dico.] Certitudo gratiæ patris erga nos.

Ipſe enim pater amat uos.] Fecit nos dilectos in dilecto filio ſuo.

Quia uos me amaſtis.] Cauſa amoris patris erga nos. Dilectio & fides in Chriſtum eſt. Hic obiter

dices de fide & dilectione Chriſti. Amat nos pater, ſi Chriſtũ amamus, hoc eſt, eius uerbum ſuſcipimus, & credimus ipſum à patre exiuiſſe, hoc eſt, dei filium eſſe. Exiui à patre.] Eſt breuis narratio ſuæ diuinitatis, & humanitatis et ſui negocij. Egreſſus eius à patre, Regreſſus eius ad patrem.

Ecce nunc palam loqueris.] Nam ſingula præoccupas antequàm interrogemus, Ex hoc ſigno credimus, quod deus es.

Modò creditis.] Eleuat eorum fidem infirmam et imperfectam: nam credunt dum nihil eſt periculi, dum non eſt offenſio crucis.

Ecce uenit hora.] Hæc de ſua paßione & diſcipulorum offenſione dicit.

Non ſum ſolus.] Conſolatoria correctio eſt. Et uſui omnibus pijs à mundo, amicis, & omni humano præſidio deſtitutis.

Hæc locutus ſum uobis.] Epilogus omnium eſt.

Vt in me pacem.] Cauſa eſt, ut nos confirmet in fide Chriſti, & muniat aduerſus omnes inſultus & perſecutiones mundi.

Confidite, ego uici.] Eſt egregia boni imperatoris exhortatio. Peroratio conſtat enumeratione & exhortatione.

EPISTOLA IACOBI I.

Vt non tantum auditores, ſed & factores uerbi ſimus

ſimus, ut perſpiciamus in legem perfectam, quæ ex libro ſpiritu & fide erumpit in charitatis opera, quæ perfecta religio & dei cultus eſt.

EStote autem factores uerbi, & non auditores tantũ, fallentes uoſmetipſos: Quia ſi quis auditor eſt uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro conſideranti uultum ſuum naturalem in ſpeculo: Conſiderat enim ſe, & abit & ſtatim obliuiſcitur qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea non auditor obliuioſus exiſtens, ſed factor operis, hic beatus in opere ſuo erit. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, nõ refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius uana eſt religio. Religio munda & immaculata apud deum & patrem: hæc eſt uiſitare pupillos & uiduas in tribulatione earum, & immaculatum ſe cuſtodire à mundo.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI

Euangelium, Marci XVI.

Nouiſſimè

NOuiſſimè autem, recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem illorum & duriciam cordis, quod his, qui uiderāt eum reſurrexiſſe, non crediderant. Et dixit eis: Euntes in mundū uniuerſum, prædicate euāgelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo, dę monia eijcient: linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus quidem Ieſus, poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris dei. Illi autem profecti prædicauerunt ubiq; domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

EVangelium eſt generis Didaſcalici.

Exordium eſt liberum cum ſuis locis: aut à tempore aſcenſionis, qui eſt fidei noſtræ articulus: aut

aut locus communis. Propoſitio *de ſalutis ratione, quæ conſtat fide & baptiſmo.*

Narratio. *Recumbentibus illis undecim.*] *Omnia ferre in nobis poteſt dominus, præter incredulitatem poſt multam & longam doctrinam, poſt aperta argumenta et teſtimonia:* Similes *ſunt loci.* O *ſtulti & tardi ad credendum.* O *ſtulti* Galatæ, &c.

Euntes *in mundum.*] Prædicatorum *deſcriptio eſt.* Primum *oportet eos eſſe uocatos & miſſos: deinde prædicare ſolum de* Chriſto Euangelium, *non humanas traditiones.* Hactenus *ſolum* Iudæis, *nunc omnibus gentibus liberum, iuxta uaticinia* Prophetarum, Eſa. 65. &c. Hactenus *prohibuit in uias gentiũ ire,* Matth. 10. *quod ſolis* Iudæis *promiſſus erat* Chriſtus. *Sed poſtquàm ipſis ſatisfecit, & aſpernati ſunt eum, feceruntq; ſe indignos regno dei, iubet eos conuerti ad gentes & mundũ uniuerſum,* Actor. 13.

Qui *crediderit.*] Eſt *ſententia uniuerſalis, & ſcopus & ſumma totius* Chriſtianiſmi & Euangelicæ *doctrinæ, negocijq; prædicatorum: nempe primũ prædicare* Euãgelium *ut credant, eamq; fidem, mox confirmare baptiſmo.* Defini *fidem ab eſſentia, à cauſis, ab officijs & effectibus.* Diuide *fidem iuſtificantem ab hiſtorica & miraculorum, & in contractibus.* Defini *baptiſmum ijſdem locis, maximè à partibus, à uerbo & aqua.* Fides *ſuſcipit baptiſmum &*

facit

*facit fructuoſum.*Hinc *deducito argumenta. Qui cre diderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.*Credit, *qui in ſolum* Chriſtum *ſuam iuſticiam ſtatuit.* Baptiſmũ *teſtantur compatres, nos ſcilicet in numerum electo rum eſſe receptos, & in librum uitæ inſcriptos, dato noſtro nomine.* Ergo *certò ſaluabimur, tam certi ſu mus noſtræ ſalutis, quàm noſtri nominis.* Adeò *nos uult eſſe certos noſtræ ſalutis, ne quid dubitemus.* Porrò, *hæc ſunt ſubinde per auditum uerbum dei in animum reuocanda, ne relabamur.* Ab Antitheſi.

Qui non crediderit.] Ita *ſola fides in Chriſtum ſaluat, & ſola incredulitas damnat.* Fides *repetitur, non baptiſmus, quod baptiſmus tantum fidei noſtræ confirmatio eſt, & pro nobis facit, nec impedit ſalu-tem, ſi denegaretur, modo fides ſit firma.* Refutabis *obiter* Anabaptiſtarum *errorem, quod non opus eſt ſubinde rebaptizari: quoniam* Paulus *noluit reba-ptizari, niſi eos, qui erant baptiſmo* Ioannis *bapti-zati,* Acto. 19. Item, *quod prius oportet credere eos, qui baptizantur.* Refutabis *quod fides, ſit donũ dei, & quod dominus fideles ſuos ſegregauit ad uitam æ-ternam, antequàm iecerit fundamenta terræ.* Porrò *autẽ nos facimus quod iubemur: nempè adferre par-uulos* Chriſto, Matthæi 18.

Signa autem eos qui.] Diſcernit, & *dat inter iu dicium credentium & non credentium, à ſignis ſub-ſequen-*

ſequentibus, quæ in omnibus credentibus uidemus fieri ſpiritualiter, & ſi res poſtulat corporaliter.

Nomine meo.] Per *uirtutem uerbi Chriſti dæmonia eijciunt ex cordibus ſuis incredulis, & uim diaboli deſtruunt.* Linguis loquentur nouis.] *Qui ante diabolicas doctrinas docuerunt, nunc Chriſtum confitentur:* Adeò planè *erunt noui,* Ioannis 3.

Serpentes tollent.] *Peſtiferas doctrinas, hæreſes, & ſectas: Satanæ morſus &c.*

Et ſi *mortiferum.*] Non *perſuadebuntur falſis doctrinis.* *Super egros manus imponent &c.*] Medebuntur *ſua doctrina ægris in fide, & melius habebunt.* Et dominus Ieſus.] Hæc *eſt extrema & manet extrema Chriſti concio in terris.*

Aſſumptus eſt *in cœlum.*] *Auſpicatus eſt regnũ ſuum ſpirituale ac cœleſte, attrahitq́; ſecum ſpes noſtras in cœlum, ut quò uidemus ipſum aſcendere, nos eſſe ſecuturos.*

Sedet ad dextram dei.] Tropus loquendi eſt: Eſt *æqualis, & æquè potens deus cum patre. Confirma locis ſcripturæ.* Aſcendiſti *in altum, captiuam duxiſti captiuitatem.* Iam *non eſt reliqua captiuitas nobis,* Chriſtus *ſiquidem duxit captiuam.*

Illi *autem profecti.*] Officium *prædicatorũ eſt, facere quod iubentur.* Dominus *aderit, adſpirabit & firmabit.* Epilogus *repetit ſuperiora et exhortatur,*

EPI-

EISTOLA ACTORVM I.

De Aſcenſione Chriſti.

PRimum quidem ſermonē feci de omnibus ò Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere uſq; in diem, quò poſtquàm per ſpiritum ſanctum, mandata dedit Apoſtolis quos elegerat, aſſumptus eſt. Quibus & præbuerat ſeipſum uiuum poſt paſſionē ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno dei. Et congregans eos, præcepit ne ab Hieroſolymis diſcederent, ſed expectarent promiſſionē patris, quam audiſtis (inquit) ex me: quia Ioannes quidem baptizauit aqua; uos autem baptizabimini ſpiritu ſancto non poſt multos hos dies. Igitur qui conuenerant interrogabant eum, dicentes: Domine, num in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt ueſtrum noſſe tempora uel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis uirtutem ſuperuenientis ſpiritus ſancti in

uos,

uos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa & Samaria, & uſq; ad extremum terræ. Et cum hæc dixiſſet, uidentibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorũ. Cũq; intuerentur in cœlum euntem illum; ecce duo uiri aſtiterunt iuxta illos in ueſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt in cœlum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum.

DOMINICA EXAVDI EVANgelium, *Ioannis* XV. & XVI.

CVm aũt uenerit paracletus, quem ego mittam à patre, ſpiritum ueritatis, qui à patre procedit ille teſtimonium perhibebit de me. Et uos teſtimonium perhibetis, quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum uobis, ut non ſcãdalizemini. Abſq; ſynagogis faciẽt uos, ſed ueniet hora, ut omnis, qui interficit uos, arbitretur obſequiũ ſe præſtare deo. Et hæc facient uobis, quia nõ

nouerunt patrem, neq; me. Sed hæc locutus ſum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiſcamini, quod ego dixerim uobis. Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiſcum eram.

Evangelium eſt generis Didactici. Exordiri poteris unde libet, à loco, tempore, &c. Propoſitio: *De ſpiritu ſancto, & fortuna piorum in hoc ſeculo.*

Narratio. Cum uenerit paracletus &c.] Eſt deſcriptio ſpiritus ſancti ad differentiam erroneorum & falſorum ſpirituum. Erit paracletus miſſus à patre, ſpiritus ueritatis, procedens à patre, teſtimoniũ perhibebit de Chriſto. De his ſupra, Dominica quarta. Paracletus erit relatione triſtium piorum. À cauſa efficiente. Miſſus à patre per Chriſtum.

Spiritus ueritatis.] Relatione doctrinæ.

Procedit à patre.] Ab eſſentia. Deus eſt ſpiritus, Teſtimonium perhibebit de me.

Et uos teſtabimini de me.] Ab officio. Prædicantium, ſolum Chriſtum teſtari & docere.

Hæc locutus ſum uobis &c.] Cautio ſuperiorum eſt de ſcandalo crucis.

Abſq; ſynagogis.] À fortuna. Vt hæreticos & malos doctores damnabunt uos. Id confirmare poteris in Paulo ex Actis, & alijs Apoſtolis, Martyribus,

& multis hiſtorijs. Sed uenit hora &c.] *Auxeſis eſt. Adeò erit mũdus excæcatus, ut perſecutionem piorum pro obſequio & cultu dei æſtimet, tantum abeſt ut ſuſcipiat eos.* Ea *eſt indoles mundi.* Ita *uerum eſt:* Per *multas tribulationes oportere nos intrare in regnum cœlorum.*

Hæc *facient uobis.*] *Cauſa efficiens eſt, ignorantia & cæcitas* Iudæorum *& totius mundi.* Nam *ſi cognouiſſent, haud quaquàm regem gloriæ crucifixiſſent, inquit* Paulus. Chriſtus, *& cæcitas mundi, cauſa eſt perſecutionis.* Hæc *poteris latiſsimè amplificare, ſcripturæ ſententijs.* Beati *eſtis cum perſecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus uos mentientes, propter me, &c.* Item 1. Petri 4. *Si exprobramini &c.* Periculum *igitur eſt grauiſsimum ſub pietatis titulo tranquillè, fœliciter & beatè uiuere:*

Sed *hæc locutus ſum uobis.*] *Præmunit ſuos ab offenſione, ne putent temerè quicquã accidere, atq; ut ſint uerbo confirmati.*

Reminiſcamini.] *Summa piorum conſolatio eſt & conſtantiæ ſacra anchora, reuocare in memoriã, uerbum dei ſub cruce: nempè ſic eſſe decretũ in conſilio patris, & dominum ſic uelle: alioqui caro & humana mens moleſtijs preſſa, & iniurijs mũdi obruta facilè offenderetur & relabaretur: nempè dũ crucẽ,*

iniuriam, perſecutionem, uiolẽtiam, ægeſtatem inimicitias, adeò & mortem ipſam per uaria tormentorum genera, pro præmio boni ſui ſtudij, & indefeſſi laboris, ab ingrato mundo refert. Hic *maximè opus eſt conſolatorio, & hortatorio ſpiritu, qui uerbo dei humanam mentem confirmet, et in officio retineat, ut uſq; pergat & uiriliter agat: quemadmodum bonus* Imperator *ſuos milites, ut ſint fortes in bello, & uiriliter certent.* Nam *nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Et *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre,* Matth. 10.

Hæc ab initio non dixi uobis.] *Cauſa.* Q*uia eram uobiſcum ſponſus ueſter, non pòtuiſtis lugere, nec erat cum ab his rebus periculum.* E*pilogus repetit ſuperiora, conſolatur & exhortatur.*

EPISTOLA I. PETRI IIII.

Vt ſimus ſpiritu unanimes, patientes, & ſufferentes quaſuis moleſtias ſumma conſtantia & perſeuerantia, interriti ab hoſtium minis & iniurijs.

EStote itaq; modeſti, & ſobrij ut oretis inter uos. Ante omnia autẽ mutuam charitatem uehementem habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hoſpitales inuicem ſine

mur=

murmuratione. Miniſtrate inter uos unuſquiſq; pro ſuo dono ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ dei. Si quis loquitur, loquatur quaſi ſermones dei. Si quis miniſtrat miniſtret tanquã ex uirtute quam ſuppeditat deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria et imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

IN DIE PENTHECOSTES

Euangelium, Ioannis XIIII.

SI quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem, quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius, qui miſit me patris. Hæc locutus ſum uobis, apud uos manens. Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis. Pacem relinquo uobis, pacem meã do uobis. Non quo-

modo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor ueſtrum, neq; formidet. Audiſtis quod ego dixi uobis, uado & uenio ad uos. Si dilìgeritis me, gauderetis utiq;: quia dixi, uado ad patrē quia pater maior me eſt. Et nunc dixi uobis, priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquor uobiſcum: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

EVangelium eſt generis Didaſcalici *&* Deliberatiui. Exordiri *licet unde libet, maximè tamen à tempore & re ipſa, à uocis etymologia* Penthecoſtes, *repetita hiſtoria ex libris* Moſi. *Aut ab articulo fidei, quod credimus in ſpiritum ſanctum.* Propoſitio *de dilectione* Chriſti, *et eius effectu ſeu fructu.* De paracleto *& eius officio.* De Chriſti *& mundi pace.* Narratio, *à definitione ueræ dilectionis* Chriſti, *quā ipſe declarat perſpicuo argumento ab antitheſi: nempè, non in uerbis & externa hypocriſi, ſed in ſeruatione mandatorum* Chriſti *conſtare.* Mandatū Chriſti *eſt, credere in ipſum & diligere nos mutuo.* Illud

iubet

iubet ſeruare & factis exprimere, nō excuti animo. Ioannes in Epiſtolis, *mendacem arguit eum qui dicit ſe deum diligere, & tamen mandata eius non cuſtodit, nec diligit proximum.* Effectus *autem, ſeu fructus dilectionis Chriſti eſt, quod ipſe & pater per ſpiritum ſanctum ueniunt ad nos, & habitant nobiſcum. Certè ſatis egregiè repenſator dilectio Chriſti, & ſeruatio mandatorum eius.* Id poteris *latius* expo*nere, & morari diutius.*

Qui non diligit me &c.] Confe*res & amplificabis ab* Antithe*ſi.*

Sermonem quem audiſtis &c.] Confirmatio *eſt ab autoritate.* H*æc ſemper* locutus *ſum, dum eram uobiſcum: nempè ſermonem meum eſſe dei patris ſermonem.* Paraclet*us autem &c.*] Definitio *ſpiritus ſancti eſt.* Ab *eſſentia. À cauſa. À efficiente, & officio.* Docebit *& ſuggeret omnia.*] Remiſſio *eſt, ſed cum cautione, & differentia aliarum ſuggeſtionum præter dei uerbum.* Interim *iudicium ſpiritus eſt.* Spiritus *dijudicate, an ex deo ſint.*

Pacem *meam.*] Euangelica *ſententia eſt in omnibus anguſtijs, dū* Chriſti *præſentia priuati ſumus, & uerſamur in quibuſuis moleſtiarū* procellis, *quod interim tamen pro ſumma conſolatione* Chriſti *pacē habemus quæ nobis ſemper* propiciū *deū per* Chriſtū *proponit.* Defini, *& diuide* Chriſti *& mūndi pacē.*

Non quomodo mundus dat.] Præoccupatio eſt, ne ſperet Chriſtianus mundi pacem dum uiuit in hoc ſeculo, ſoleturq́; ſe ſua ſorte, dum denegatur id quod cupit: nam multum iuuat animus in re mala bonus. Et ſi male nunc, nec olim ſic erit. Resq́; aduerſa patienter ferendo ſit facilior. Non eſt præſentior conſolatio de omnibus moleſtijs, adeò de morte quoq; modo cogitemus ita eſſe in boni patris conſilio, & fieri omnia ex certa dei uoluntate, de qua debemus animos noſtros præmunire, & confirmare Euangelicis ſententijs, ut eſt: In mundo preſſuram, in me pacem habebitis. Non cadet capillus de capite, præter uoluntatem patris ueſtri. Cor quietum facilè quaſuis moleſtias perfert, quod hic pacem Chriſtus uocat. Contra autem, cor inquietū nullis rebus ludicris, facetijs etc. afficitur & delectatur.

Non turbetur cor ueſtrum &c.] Idem ſubinde repetit, præ nimio conſolandi & exhortandi ſtudio. Nam cor pauidum non poteſt exaturari conſolando & exhortando in rebus dubijs & periculoſis. Caro ſemper ſibi timet à cruce. Et terror plerunq; ipſo periculo maior eſt. Omnia faciant ad præmunitionem offenſionis. Vana iactantia eſt de conſtantia in perſecutione eius, qui non eſt exercitatus. Expertus metuit ut Petrus.

Vado & uenio ad uos.] Conſolationis confirmatio

tio eſt,quod quamuis Chriſtus abeat,tamen eſt reuer ſurus. Nõ *permittet ſuos in tentatione.* Hic *eſt curſus totius uitæ Chriſtianæ.* Abit *Chriſtus dum ſinit nos tentari* : Redit *cum nos conſolatur, ſpiritu & uerbo dei:* Fidelis *eſt non ſinit ſuos &c.*

Si diligeritis me] Inuerſio *eſt.* Aegré *fertis quod abeo,imò gauderetis quod præeo,& para uobis uitam, & locum apud patrem.* Quia *pater maior me eſt.* Collatio *eſt ab humanitate Chriſti ad diuinitatem patris,alioqui diuinitati eſt æqualis patri.*

Et *nunc dixi uobis.*] *Scilicet, quod abitio mea uobis proderit.* Epilogus *ſuperiorum eſt,* Aut *intelligas de cautione crucis,qua præmunit eorũ animos.* Nam *iacula præuiſa,minus feriunt.*

Iam *non multa loquar uobiſcum.*] Præciſio *eſt, quia indicat paßionis & mortis tempus inſtare.*

Venit *princeps.*] Cauſa *efficiens eſt, cur porrò non multa cum ipſis loquetur.* Princeps *mundi Satan eſt.* Quid *Satan, & quid mundus ſit, declarabis & amplificabis.*

In *me non habet quicquam.*] Inſultatio *eſt.* Non *uincet me.* Quod *quærit non inueniet.*

Sed ut cognoſcat mundus.] Cauſa *crucis Chriſti dilectio et obedientia dei eſt.* Propterea *ſubmitto me cruci, & do male tractandum, quod ita uult pater, ut hac ratione liberem genus humanum.* Magna *illa*

dilectio, & obedientia adigit me ad crucem. Vt etiã mundus, & impij uideant me diligere deum, & mandatum eius obſeruare: Ergo dilectio in opere conſiſtit. Vnde dixit in principio Euangelij. Regnum dei non eſt in ſermone, ſed in uirtute.

Surgite eamus.] Ita urget ſeſe Chriſtus, quia tempus eadem, ut ſeſe offerat, obſecundum & ultroneũ. Epilogus repetit ſuperiora & exhortatur.

EPISTOLA ACTO. II.

De mißione ſpiritus ſancti. Vbi re ipſa confirmat Chriſtus, quod toties promiſit: Vt ſciamus certas eius eſſe promißiones.

ET cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes unanimiter ſimul. Et factus eſt repente de cœlo ſonus tanquàm aduenientis ſpiritus uehementis, & repleuit totam domũ, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq́ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, prout ſpiritus ſanctus dabat eis eloqui. Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi uiri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt.

eſt. Facta autẽ hac uoce conuenit multitudo & mente confuſa eſt: quoniã audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autẽ omnes, & mirabantur, dicentes: Nónne ecce omnes iſti qui loquũtur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus unuſquiſque linguam noſtrã in qua nati ſumus? Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitãt Meſopotamiã, Iudæam & Cappadociam, Pontũ et Aſiam, Phrygiã et Pamphyliam, Aegyptũ et partes Lybię, quę eſt circa Cyrenen, & peregrini Romani, Iudęi quoq; & proſelyti, Cretes et Arabes, audiuimus eos loquẽtes noſtris linguis magnifica dei. Stupebant aũt omnes & mirabantur ad inuicẽ, dicentes: Quid nã uult hoc eſſe? alij aũt irridentes dicebãt: quod muſto pleni ſunt iſti.

DIE SECVNDA PENTECOSTES

Euangelium, Ioannis III.

SIc enim deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat

habeat uitam æternam: Non enim miſit deus filium ſuum in mundum ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non iudicatur: Qui autem non credit iam iudicatus eſt, quia non credidit in nomine unigeniti filij dei. Hoc eſt autem iudicium, quod lux uenit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: Erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem & non uenit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifeſtentur opera eius. Quia in deo facta ſunt.

EVangelium eſt generis Didactici. Exordium commodius duces à ſuperioribus, nam cohærent.

Propoſitio, de dilectione dei erga nos. Item, de fide & diffidentia, earumq; effectibus. Narratio ab Epiphonemate & emphaſi.

Sic deus dilexit mundum.] Prædicat excellentē dei dilectionem erga nos. Quid dilectio ſit expone. Ab effectu boni fauoris. Dilectionis autem argumentum eſt ipſum opus, ut filium ſuum unigenitū daret: Vera dilectio nō cōſiſtit in blando ſermone et geſtu, ſed

ſed in ipſo opere ubi res poſtulat. Iam *declarabis noſtram neceßitatem, & dei beneficium,* Rom. 5. *Commendat ſuam charitatem deus in nobis, quod ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis igitur iuſtificati nunc ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira, per ipſum. À circunſtantijs,* Auget *commendationem filius, isq; unigenitus, dilectus, & datus pro nobis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat uitam æternam,* Ioan. 6. *Cauſa finalis Chriſti eſt, ut credentes in ipſum, ſaluemur. Cauſa autem efficiens uitæ æternæ, eſt fides in Chriſtum.* Hæc pro tempore latius expones.

Omnis qui credit.] *Sententia uniuerſalis eſt, ad omnes homines ſpectans, ne quis putet ſe exemptum ut indignum &c.* Non *hic agitur de dignitate, aut indignitate, ſed de fide.* Declarabis *quid ſit fides, ab eſſentia & relatione. Quæ cauſa efficiens:* Auditus *uerbi dei, & ſpiritus ſanctus. Cauſa finalis Chriſtus eſt, ut in ipſum credamus.* Effectus *fidei, eſt uita æterna &c.* Ab Antitheſi, *diffidentia ſcilicet, eadem loca & argumenta ducuntur.* Hinc *ſequitur, quod ſola fides ſaluat, quæ per charitatem operatur.* Et *ſola diffidentia damnat.*

Non miſit.] *Præoccupatio & cauſa finalis Chriſti eſt, ut ſaluemur.* Certificatio *bonitatis dei eſt.*

Qui credit.] *Effectus fidei eſt, ut non iudicemur.*

Contra,

Contra, incredulitas nos condemnat.

Hoc aũt iudicium.] *Nos ſumus nobis ipſis damnationi, quod perſpicuum dei uerbum non recipimus. À ſimili collatione, quid lux, quid tenebræ.*

Omnis qui malè agit.] *Fideles & infideles diſcernit argumentum, quibus internoſcantur. Epilogus ſuperiora repetit, & exhortatur.*

EPISTOLA ACTO. X.

Petrus apud Cornelium Gentibus prædicat Ieſum eſſe Chriſtum: Quam prædicationem deus cõfirmat miſſione ſpiritus ſancti ſuper gentes.

ET præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quod ipſe ſit qui cõſtitutus eſt à deo iudex uiuorũ & mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro uerba hęc cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant uerbum, Et obſtupuerunt ex circuncìſione fideles qui uenerant cũ Petro, quod in gentes donũ ſpiritus ſancti effuſum eſt: Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes deum. Tunc re-

ſpondit

ſpondit Petrus, num quis prohibere po teſt, ut non baptizentur hi aqua qui ſpiritum ſanctum acceperunt ſicut et nos? Et iuſſit eos baptizari in nomine domini. Tunc rogauerunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus.

DIE TERTIA PENTHECOSTES

Euangelium, Ioan. 10.

AMen amen dico uobis, qui nõ intrat per oſtiũ in ouile ouium, ſed aſcẽdit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui aũt intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: Huic oſtiarius aperit, & oues uocem eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim & educit eas: Et cum proprias oues emiſerit, ante eas uadit, & oues illũ ſequũtur, quia agnoſcãt uocẽ eius. Alienũ aũt non ſequũtur, ſed effugiunt ab eo quia non nouerũt uocẽ alienorũ. Hoc ꝓuerbiũ dixit eis Ieſus. Illi aũt nõ cognouerũt, quid eſſet quod loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen amen dico uobis, quia ego ſum oſtiũ ouiũ. Omnes quotquot ante

me

me uenerunt, fures ſunt & latrones, & audierunt eos oues. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, et paſcua inueniet. Fur non uenit, niſi ut furetur, et mactet & perdat, Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant.

EVangelium eſt generis Didaſcalici.

Qui non intrat per oſtiũ.] Eſt perpetua metaphora: poſtea Chriſtus ſeſe exponit, orditur ab Antitheſi, ut eſt totum euangelium.

Propoſitio eſt de paſtore, fure, latrone, ouibus, ouili, oſtio, oſtiario. Defini ſingula, Chriſtus uerus paſtor & oſtium eſt, fures & latrones ſunt falſi doctores. Oues pij ſunt, Ouile eſt eccleſia, Oſtiarius eſt ſpiritus ſanctus. Quid intrare per oſtium. Quid aſcendere aliunde.

Et proprias oues.] Quiſq; pius ſuam habet uocationem, hoc eſt, uitæ genus ſecundum fidem & uerbum, Pſal. 44.

Ante eas uadit.] Ab officio paſtoris ſeu epiſcopi, qui debet ſe ſuæ doctrinæ conformem facere, & pro exemplari honeſtæ uitæ exponere, Tit. 2. & bonum teſtimonium habere, ab ijs etiam, qui foris ſunt, 1. Timoth. 3. Quia agnoſcunt uocem eius.] Pij neminem,

nem, niſi uerbũ dei docentem, pro paſtore agnoſcũt.

Illi autem.] Caro non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus dei, contra liberum arbitrium.

Quotquot uenerunt ante me.] Differentia eſt doctrinæ Chriſtianorũ & hæreticorum. Ante Chriſtum ueniunt, qui Chriſtum non ferunt ſecum.

Ingredietur & egredietur.] Hoc eſt, quoquò ſe uerterit, quoquò flexerit oculos in literis ſacris, inueniet quod populo ex uſu ſit, & doceat. Summa, deus ſibi aderit, ſpiritus eius officio adſpirabit, & ſuggeret docenda.

Fur non uenit niſi.] Cauſa finalis eſt malorũ doctorum. Confirma ſingula ſcripturæ locis & dialecticis argumentis, Iere. 23. Ezech. 34. Poteris excurrere in commendationem bonorum paſtorum, & deteſtationem malorum paſtorum.

EPISTOLA ACTO. VIII.

Mittuntur Petrus & Ioannes in Samariam, ubi poſt prædicationem & baptiſmum Chriſti, Samaritani acceperunt ſpiritum ſanctum.

CVm autẽ audiſſent Apoſtoli qui erant Ieroſolymis, quod recepiſſet Samaria uerbũ dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum deſcendiſſent, orauerunt pro ipſis ut accipe-

rent ſpiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat, ſed baptizati tantum erant in nomine domini Chriſti Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum.

DOMINICA TRINITATIS
Euangelium, Ioannis III.

ERat autem homo ex Phariſęis Nicodęmus nomine, princeps Iudęorum. Hic uenit ad Ieſum nocte, et dixit: Rabbi, ſcimus quod à deo ueneris magiſter: Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus & dixit ei: Amen amē dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt uidere regnum dei. Dixit ad eum Nicodæmus: Quomodo poteſt homo naſci, cū ſit ſenex. Nunquid poteſt in uentrem matris ſuæ iterū introire & naſci? Reſpōdit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum dei. Quod natum eſt ex carne,

ne, caro eſt, Et quod natũ eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quod tibi dixi oportet uos naſci denuo. Spiritus ubi uult, ſpirat, & uocem eius audis, ſed neſcis unde ueniat, aut quò uadat. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodæmus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod ſcimus, loquimur, & quod uidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixero uobis, & nõ creditis. Quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credetis. Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat uitam æternam.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. Propoſitio eſt de renaſcentia ueteris Adæ, hoc eſt de iuſtificatione. Prima natiuitas male ceßit nobis: quippe qua nati ſumus filij iræ, ergo opus eſt renaſci in filios gratiæ.

Hoc quomodo ſe habeat, Chriſtus ipſe exponit. Narrationis exordium eſt à deſcriptione Nicodæmi, hūc Phariſæum & principem Iudæorū appellat non abs re, ut ſummæ ſapientiæ & probitatis humanæ uirū, in ſpiritualibus rebus ineptum oſtendat.

Venit nocte.] Relatio eſt timoris. Refert eos qui quidem fauent Euangelio, ſed hominum et exautorationis metu, non audent palàm profiteri.

Rabbi, &c.] Salutatio ſeu captatio beneuolentiæ eſt. Scimus, quia à deo ueniſti.] Tribuit ipſi ſingularem autoritatem.

Nemo enim poteſt.] Collectio eſt à ſignis.

Niſi quis &c.] Propoſitio hypothetica eſt conditionalis. Nicodæmus reſpondet ab impoßibili: quia de natiuitate ambiguitur, aliter accipit atq; Chriſtus ſentit. Hic Nicodæmus ſapientißimus phariſæus, ne tantillum intelligit de ijs quæ Chriſtus proponit. Paradoxum exiſtimat. Caro nō percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei. Hic primum define natiuitatem, & diuide ſpirituale͂ à carnali, uti Chriſtus diſcernit ipſe.

Ex aqua & ſpiritu.] Definitio eſt ex partibus et cauſa efficiente. Spiritualem natiuitate͂ efficit aqua & ſpiritus, id eſt, baptiſmus, Aqua ſubmergimur & mortificamur, ſpiritu uiuificamur, & renaſcimur.

Quod natum eſt ex carne.] Confirmat perſpicuo argumēto: nempe, homo ex homine. Homo caro

eſt.

eſt,ergo carnaliter naſcitur corpore & anima. Con*tra,deus ſpiritus eſt,ergo ex deo ſpiritualiter naſcimur.* Porrò,*caro & ſanguis regnum dei poßidere non poteſt.Sequitur ergo ex Adam natos perditos eſſe.* Iam *ſi ſaluari uolumus, oportet nos renaſci ex ſpiritu & aqua per Chriſtum.* Quid *caro, quid ſpiritus.* Huc *refer locos ſcripturæ.*

Ne *mireris.]* Præ*occupatio eſt. Confirmat à ſimili,de ſpiritu ſeu uento.*

Spiritus ubi uult ſpirat.] Auditur ſed neſcitur unde ueniat aut quò uadat,Sic ſpirituales pij,audiuntur quidem profitētur Chriſtum, ſed externo habitu non poſſunt internoſci,hoc eſt,pij occulti ſunt. Ratio *aſſequi nō poteſt quomodo fiat Chriſtianus,nec quò ueniat. Sapient. 5.* Nos *inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam, ecce quomodo computati ſunt inter filios dei.*

Q*uomodo poſſunt hæc fieri?]* Ratio *occluditur & obruitur.*

T*u es magiſter,&c.]* T*axatio eſt ab officio & maiore.* A*men amen.]* C*onfirmatio eſt, ut fides ſibi adhibeatur.*

Si terrena.] El*euatio rationis à minore ad maius.* Hic *obiter poteris excurrere ad trinam illam & diuinam unitatem,ex Symbolo Athanaſij.*

Primum *à definitione eſſentiæ deitatis.* Ex *crea-*

turis Deum cognoſcimus, Roma. 1. cum ſcimus omnia in cœlo, terra & mari eſſe creaturas, oporet ergo eſſe creatorem: porrò ſcimus creaturas eſſe finitas, neceſſe eſt creatorem eſſe infinitum, atq; ab hoc eſſe omnia, & poſſe omnia, quippè qui dat auditum, audire: uiſum, uidere: loquelam, loqui: ſapientiam, ſapere: iuſticiam, iuſtum eſſe, &c.

Nemo aſcendit in cœlum.] Nemo igitur ſuis uiribus ſaluatur, & iuſtificatur niſi per Chriſtum. Id confirmat ſimili, ſeu figura ueteris Teſtamenti. Vſus figurarum eſt, ut referamus ad Chriſtum.

Vt omnis qui credit.] Cauſa finalis eſt, et ſumma Euangelij. Epilogus repetit breuiter ſuperiora, & exhortatur.

EPISTOLA ROM. XI.

De alta profunda & inſcrutabili diuinitate.

O Altitudo diuitiarum ſapientiæ, et ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & tribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum et in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula. Amen.

IN DIE CORPORIS CHRISTI

Euangelium,Ioannis VI.

CAro enim mea, uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Qui manducat meam carnem & bibit meũ ſanguinem,in me manet & ego in illo. Sicut miſit me uiuens pater,ita ego uiuo propter patrẽ,& qui manducat me, & ipſe uiuet propter me. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.Non ſicut manducauerũt patres ueſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem uiuet in æternum.

*E*Vangelium eſt generis Deliberatiui. Propoſitio. *Hortatur nos Chriſtus per totum uſq; caput, manducare eius carnem,& bibere eius ſanguinem,edere ſe,panem illum cœleſtem.Confirmans ab honeſto,utili,& neceſſario:nempe conferre uitam. Hic locus referendus eſt,non ad ſacramentũ Eucharistiæ, quia tunc temporis non erat inſtitutum,ſed ad fidem in Chriſtum.Ita pij ueteris Teſtamenti eandem eſcam ſpiritualem,& eundem potum ſpiritualem biberũt. 1.Cor.10.Defini quid caro,quid ſanguis Chriſti, qd edere carnẽ,et bibere ſanguinẽ Chriſti,eſt credere ipſum pro nobis incarnatũ et paſſũ eſſe,hoc qui credit,*

uerè uiuit, & paſcitur anima, manet in Chriſto, & ipſe uiciſſim in eo, hoc eſt, conglutinantur inuicem. Emphaſis eſt in uerbo manducare.

Sicut miſit me.] A ſimili, *Quemadmodum Chriſtus cauſa patris uiuit, ſic nos qui manducamus Chriſtum eius cauſa uiuimus.* Hoc *eſt, ſicut Chriſtus non eſt ſui iuris ſed patris.* Sic *nos non noſtri, ſed Chriſti iuris ſumus.* 2. Corinth. 5. *Quid propter Chriſtum uiuere?* Hic *eſt panis.*] *Metaphora eſt, quemadmodum panis nutrit corpus.* Ita *Chriſtus & eius uerbum paſcit animam.*

De cœlo.] A *cauſa efficiente, & ab honeſto ſcilicet à deo.* Non *ſicut.*] *Præoccupatio eſt de manna etiam de cœlo delapſo, quod non contulit uitam, quia lex ſaluare non potuit.*

Qui manducat.] *Collatio iſt ab Antitheſi.* Obiter *ſi uacat, excurre in collationem legis & Euangelij. Confirma ſcripturæ locis.* Epilogus *recitat ſuperiora & exhortatur.*

EPISTOLA I. CORIN. XI.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CONuenientibus ergo uobis in unū, iam non eſt dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum.

Et

Et alius quidẽ eſurit, alius autẽ ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut eccleſiam dei contemnitis & confunditis eos qui non habet? Quid dicam uobis? Laudem uos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à domino quod & tradidi uobis: quoniam dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit & dixit; Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis frangitur. Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem poſtquàm cœnauit, dicens; Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcunq; biberitis in mei commemorationem. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicẽ bibetis, mortem domini annunciabitis donec uenerit. Itaq; quicunq; manducauerit panem hunc & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo

edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini.

DOMINICA PRIMA POST TRINItatis Euangelium, Lucæ XVI.

HOmo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant, & lingebant ulcera eius. Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos, & cum eſſet in tormentis, uidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret

ret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recipiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala: Nunc autem hic conſolatur, tu uerò cruciaris. Et ſuper hæc omnia inter nos & uos chaos magnum firmatum eſt: ut hi, qui uolunt hinc tranſire ad uos nō poſſint, neq; inde huc tranſmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locum tormentorum: Et ait illi Abraham: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moſen & prophetas non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

PRima pars eſt generis Demonſtratiui perſonarū, altera Deliberatiui ſeu precatorij.

Propoſitio, Hiſtorica collatio eſt ab Antitheſi diuitis & pauperis, hos defini & compara ad pium & impium:

impium: Pius in hac uita uarijs hulceribus & moleſtijs adficitur, iacet & negligitur: Impius autem ex uotis uiuit & floret. Hinc utriuſq; ſucceſſus in morte hiſtoria narrat. Pauperis nominis mentio fit: Diuitis non item: Quoniam illos ſcriptos habet deus in libro uitæ. Quid ſinus Abrahæ. Quid ferri ab angelis? eſt in fide Abrahæ mori. Quid infernus. Quid ſepiliri in inferno? eſt mori mala conſcientia: Hæc contingunt in morte, quando agitamus animam. Præoccupatio, Lazarum non ſaluat paupertas, nec diuitem diuitiæ damnant, ſed fides ſaluat, & operatur tollerantiam & ſpem. Contra autem infidelitas & negligentia proximi damnat.

Eleuans oculos.] *In morte primum uidemus noſtram impietatem & damnationem. Videmus piorum fœlicitatem, hic eſt uermis ille qui non moritur, Eſaiæ 66. cap. Tum primum uident fatuæ uirgines, ſapientes habere oleum, Matt. 25. Tum redit in memoriam quibus bene & male fecimus. Ibi lex ſe aperit ſublato Euangelio, tum primum, ſed ſero & fruſtra, quærimus gratiam, Prouerb. 1. cap.*

Pater Abraham.] *Captatio beneuolentiæ eſt.*

Miſerere mei.] *Propoſitio eſt.*

Mitte Lazarum, &c.] *Narratio eſt.*

Fili recordare.] *Recuſat gratiam cõtraria collatione, qua planè deijcit eius animum, & præcidit*

omnem

omnem ſpem recuperandæ ſalutis & gratiæ. Eſt ſententia ſeueri iudicij dei, ut inquit Iacobus: Iudicium ſine miſericordia erit his, qui non exhibuerunt miſericordiam, cap. 2. Huc refer ſcripturæ locos, Prouerbiorum 1. Vocaui & renuiſtis, ego quoq; in interitu ueſtro ridebo uos, &c. Tunc inuocabunt me, & ego non exaudiam, Pſal. 31. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno: Veruntamen in diluuio aquarum multarum, &c. Quærite dominum dum inueniri poteſt: Inuocate dum, &c. Chriſtus Matth. 25. Eſuriui & non dediſtis mihi. Prouerb. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperum, clamabit ipſe uiciſsim & non exaudietur.

Et in his omnibus.] Ab impoſsibili.

Rogo ergo.] Iam cum de ſe deſperat, pro fratribus rogat, nihil conſequitur tamen.

Habent Moſen & prophetas. Verbum dei docet nos, quomodo æternos cruciatus euitemus, quomodo ſaluemur quod ſi neglexerimus, non eſt quod speremus amplius.

Non pater Abraham.] Familiaris correctio eſt, ac ſi diceret: uerbum dei negligunt ex crebro uſu, ſed ſi ex mortuis aliquis reuixerit, quæ noua & ſtupenda res fuerit, illi haberent fidem.

Si Moſen & c.] Diluit à maiore, planè reijcit quaſi nis petitiones. Locus eſt contra errabundos ſpiritus,

quibus

quibus adimit autoritatem, Deut. 18. Non inueniatur in te, qui quærat à mortuis ueritatē. Et Pſal. 77. Spiritus uadit nec reuertitur. Tandem mens impia, ubi uidet nihil ſpei reliquum eſſe, deſperabunda moritur. Epilogus ſuperiora repetit, adhortatur & conſolatur pios, terret & admonet impios: Omnium rerum uiciſsitudo eſt.

EPISTOLA I. IOAN. IIII.

De uera dilectione proximi, quod defuit, & damnatur in hoc diuite epulone.

PEr hoc apparuit charitas dei, quod filium ſuum unigenitū miſit Deus in mundum, ut uiuamus per eū. In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus deum, ſed quod ipſe dilexit nos, et miſit filium ſuum propiciatorem pro peccatis noſtris. Chariſſimi, ſi deus dilexit nos, debemus & nos alterutrum diligere. Deum nemo uidit unquàm, ſi diligimus inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. Per hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis; quoniam de ſpiritu ſancto ſuo dedit nobis. Et nos uidimus & teſtificamur, quod pater miſerit

rit filium ſaluatorem mundi. Quiſquis cõfeſſus fuerit, quod Ieſus eſt filius dei, deus in eo manet, & ipſe in deo: Et nos cognouimus, & credimus charitati quã habet deus erga nos. Deus charitas eſt, et qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas dei in nobis, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quia ſic ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnã habet. Qui autem timet non eſt perfectus in charitate. Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit diligo deum et fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim nõ diligit fratrem ſuum quem uidet, deum quem non uidet quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à deo, ut qui diligit deum, diligat et fratrem ſuum.

DOMINICA SECVNDA POST *Trinitatis Euangelium, Lucæ* XIIII.

Homo

HOmo quidam fecit cœnã magnã, & uocauit multos, & miſit ſeruũ ſuum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: uenite, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: uillã emi, & neceſſe mihi eſt exire & uidere illam. Rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boũ emi quinq;, & eo ad probandum illa: Rogo te habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò uenire nõ poſſum. Et reuerſus ſeruus nunciauit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliâs dixit ſeruo ſuo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cœcos, & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: domine factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait dominus ſeruo: Exi in uias & ſepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

Exor-

EXordium, Chriſtus uariè de regno ſuo, hoc eſt, euangelio, loquitur. Nunc per parabolam, nunc per ſimile, nunc alia & alia ratione. Propoſitio, Chriſtus comparat euangelium ſuum cœnæ. Item de reiectione Iudæorum et uocatione Gentium. Captatio beneuolentiæ, Attentionis et Docilitatis. Narratio eſt parabolica, Illã ſimpliciſsimè expone. Defini cœnam. Eſt ſerotinum & breue conuiuium.

Homo quidam.] Homo eſt pater cœleſtis, facit cœnam magnam, ſinit prædicare euangelium ſuum, huc uocat multos ut credant & recipiant. Cœnam uocat relatione temporis, Galatas 4. Vbi uenit plenitudo temporis. Euãgelium in nouiſsimis temporibus prædicatur ad mundi finem uſq;, & ubicunq; uenit breuiſsimè durat.

Et miſit ſeruum ſuum.] Seruus eſt Ioannes Baptiſta, aut Chriſtus ipſe, Philip. 2. aut quiuis euangelici præcones. Inuitati ſunt Iudæi, per prophetas uocati. Parata ſunt omnia.] Nihil eſt quod differatis, tantum uenite & recumbite, gratia gratis datur, Ephe. 2. Non faciunt noſtra opera ad ſalutẽ, Ro. 3. 4.

Et cœperunt ſimul.] Inuitati recuſant uenire: Iudæi aſpernantur euangelium. Aut ubicunq; prædicatur uerbum, alius recipit, alius renuit, non omnes obediunt euangelio, Roma. 10. Prætendunt ſuas poſſeſsiones, negociationem & uxorem. Defini ſin-

gula. Hæc *ſunt potiſſima, cur uulgo non audent recipere euangelium, uerentur ne his carendum ſit, ſi ſuſciperent & profiterentur euangelium: nanq; crucem habet comitem,* Matth. 10. & 16. Qui *non reliquerit etc.* Amplifica *ſcripturæ locis, à tentatione & perſecutione, quæ caro horret.* Non *eſt flagitium ſi rectè fit, poſſidere diuitias, negociari, & ducere uxorem, ſed propter hæc non uenire ad cœnam recipere uerbum, cõcitat dei iram, excuſant ſe quidem, ſed fruſtra,* Deus *non ſuſcipit excuſationem.*

Reuerſus *ſeruus nunciauit hæc domino ſuo.*] Quiſq; *prædicatur ſecum cogitat, prædico quidem, ſed non ſuſcipiunt.*

Iratus *paterfamiliâs.*] Ab *adfectu, deus grauiſſimè fert uerbi ſui contemptum.* Hæc *apud ſe ſentiunt recuſantes, malam habent conſcientiam, uident iratum deum.* Exi *cito.*] Introduc *pauperes, debiles, meretrices, publicos peccatores, ex* Iudæis *peccata ſua agnoſcentes, & præ cæteris contemptiſſimos.*

Et *adhuc locutus eſt.*] Ex Iudæis *pij non poterãt cœlum implere, propterea accerſuntur etiam gentes, & quia* Iudæi *aſpernabantur* Euangelium, Acto. 13. Rom. 10. 11. E*ſa.* 49. *Pauperes, debiles, claudi, ſignant homines, humili, concuſſa, turbata & conſternata conſcientia, hi libenter ueniunt, ſuſcipiunt, illis ſapit* Euangelium.

Com-

Compelle intrare.] *Scilicet male uiuentes, per declarationem legis, detectionem peccati, æternæ damnationis, & iræ dei, argue, obſecra, increpa oportunè, importunè, 1. Timo. 5. Adeò etiam tradatur Satanæ in interitũ, ut ſpiritus ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu Chriſti, 1. Corinth. 5. Compellit etiam dominus uarijs morbis, ægeſtate, periculis, damnis, quæ nos puſillanimes reddunt.*

Dico autem uobis.] *Emphaticum iuramentum.*

Nemo uirorum.] *Eſt extrema maledictio contemptus uerbi.*

Non guſtabit.] *Id eſt, nihil planè de uerbo intelliget, non erit particeps regni dei, Contemnens contemnetur. Confirma locis ſcripturæ. Eſa. 25. 65. Oſeæ 2. Excurre obiter in cœnæ circunſtantias & hac noſtra tempora. Epilogus breuiter recitat ſuperiora, & admonet, & hortatur.*

EPISTOLA I. IOAN. III.

De dilectione dei erga nos, quæ ſunt uerè illæ nuptiæ, nempe ex dilectione dei diligere proximum.

NOlite mirari fratres ſi odit uos mundus. Nos ſcimus quod tranſlati ſumus de morte ad uitã, quoniã diligimus fratres. Qui nõ diligit fratrẽ, manet in morte. Omnis qui odit fratrem

 ſuum,

ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quod omnis homicida nõ habet uitam æternam in ſe manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quod ille animã ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & uiderit fratrem ſuũ egere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus uerbo neq; in lingua, ſed opere & ueritate.

DOMINICA TERTIA POST TRInitatis *Euangelium*, *Lucæ* XV.

ERant autem appropinquantes ei publicani, et peccatores, ut audirēt illum. Et murmurabant ſcribæ & phariſæi, dicentes: hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis eſt ex uobis homo, qui habet centum oues, & perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & uadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eã? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros

meros ſuos, gaudēs. Et ueniens domū, conuocat amicos, & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico autem uobis, quod ita gaudium erit in cœlo, ſuper uno peccatore pœnitentiā agente, magis quàm ſuper nonaginta nouē iuſtis, qui nō indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & uerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? Et cum inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram: Ita dico uobis, gaudium erit corā angelis dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

HOc *Euangelium eſt cōfirmatio à parabola, ſeu ſimili ad eam ſententiā.* Propoſitio, Non *ueni propter iuſtos, ſed peccatores.* Iuſtificandi *ratio hic docetur.* Quatenus *conuerſandum ſit cum manifeſtis peccatoribus.* Defini *quid* Phariſæus *aſpernans* Chriſtum. Quid *peccator appropinquans* Chriſto. Quid

ouis errans,quid non errans. Quid iuſtus hic,ſcilicet qui ſibi uidetur iuſtus,& non errare,cum tamen omnium maximè errat, Eſaiæ 53. *Omnes quaſi oues errauimus.* Quis ex uobis homo.] Homo ille Chriſtus eſt,paſcit oues,docet omnes homines in deſerto mundo,ex his perit,& errat una,quæritur & inuenitur,& cæteræ nō errant:ergo nō eſt opus ut quærantur,& redimantur. Saluandorum pauciſsimus eſt numerus,quia cæteri ſibi iuſti uidentur ex operum ſuorum meritis. Errans ouis ſignat eos qui ſe cognoſcunt peccatores,hos quærit Chriſtus, horum cauſa uenit,ut redimeret. Cauſa finalis,& uſus Chriſti: Venit filius hominis quærere & ſaluare quod perierat, Chriſtus uenit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Eſa. 24. Calamum quaſſatum non conteret, Ezechiæ 34. Ego paſcam gregem meum, Nolo mortem peccatoris. 33. Simile de filio prodigo & perdito. Huc refert ſcripturæ locos, Eſa. 40. Sicut paſtor gregem ſuum paſcit,in brachio ſuo congregabit agnos &c. Verè languores noſtros ipſe tulit, &c. 53. Ezechiæ 34. 36. 1. Petri 2. Qui peccata noſtra pertulit. Quid nonaginta nouē iuſti. Quid iuſticia, Quid iuſtus. Iuſticia duplex. Ex fide,& ex operibus legis, quæ phariſaica dicitur. Niſi abundauerit iuſticia ueſtra plusquàm Scribarum & phariſæorum &c. Matth. 5. Vos eſtis qui iuſtificatis uos coram hominibus

nibus, deus autem nouit corda ueſtra, Lucæ. 16. *Ab Antitheſi. Iuſtus ex fide ſua uiuet.* Habacuc 2. Ro. 1. 3. 4. *Iuſtificati ex fide*, Rom. 5. *Adfer ſimiles locos. Contentio conſtat confirmatione & confutatione. De oue & dragma perdita, contra liberum.*

Epilogus. Ouis errat in infinitum niſi redimatur. Cætera, quod imponit in humeros, gaudet & conuocat amicos & uicinos. Sunt circunſtantiæ adfectus paſtoris erga ouem, Chriſti erga nos. Ouis ſinit ſe portare. Pij nihil addunt operibus Chriſti in ſalutis opere.

EPISTOLA I. PETRI V.

Vt humiliemus nos cum Publicano, & caueamus à leone, & lupo diabolo, quærente nos perdere, ſi quidem erramus hic inter feras.

HVmiliamini igitur ſub potenti manu dei, ut nos exaltet in tempore uiſitationis. Omnem ſollicitudinem ueſtram proijcientes in eum, quoniam ipſe eſt cura de uobis. Sobrij eſtote & uigilate, quia aduerſarius ueſter diabolus tanquã leo rugiens circumit quærẽs quẽ deuoret, cui fortes reſiſtite in fide, ſciẽtes eaſdẽ adflictiones in mũdo accidere fratribus ueſtris. Deus aũt

omnis gratiæ, qui uocauit uos in æternam ſuam gloriam per Chriſtũ Ieſum, paululum paſſos uos ipſe perficiet, confirmabit, corroborabit, & ſtabiliet. Ipſe gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA QVARTA POST Trinitatis Euangelium, Lucæ VI.

ESTote ergo miſericordes, ſicut & pater ueſter miſericors eſt. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, ne condemnabimini. Dimitte & dimittetur uobis. Date, & dabitur uobis. Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſuper effluentem dabunt in ſinum ueſtrum. Eadem quippè menſura, qua menſi fueritis, remetietur uobis. Dicebat autem illis ſimilitudinem. Nunquid poteſt cœcus cœcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. Quid autem uides feſtucam in oculo fratris tui,

trabem

trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, nõ conſideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo; frater, ſine, eijciam feſtucã de oculo tuo, ipſe in oculo tuo trabem non uides? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tũc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui.

Evangeliũ eſt generis Didactici, & Deliberatiui. Exordium eſt liberum, & ſit breue. Propoſitio, Chriſtus Chriſtianas leges præſcribit, & pietatis officia, ſeu charitatis opera, fidei fructus, & iudicia docet. Narratio, à ſingularum uocũ definitione. Quid miſericordia, quomodo pater miſericors ſit. Ab exemplo. Quid iudicare, Quid condemnare, Quid dimittere, Quid dare, Singula ſunt ſub relatione qualitatis adfectus. Amplifica & diſtribue ſingula in ſuas ſpecies. Iudicare duplex eſt, publicè licet, priuatim non licet. Confirma ſingula ſcripturæ locis, Mat. 5. Beati miſericordes &c. Ioan. 3. Si quis habuerit ſubſtantiam. Salomon. Fœnerat domino quiſquis miſerebitur pauperis. Idem. Qui ſaginat, ſaginabitur. De iudicio. Iudicium ſine miſericordia. Iacob. 2. Nolite ante tempus iudicare. 2. Corinth. 4. Mihi uindictam, & ego retribuam, Rom. 2. Math. 7. Rom. 14. Præoccupatio de iudicio publico, Rom. 13. 1. Pet. 2.

Dimitte.] Mat. 18. & 6. Dimitte nobis debita &c.

Date.] Matth. 5. 18. Gratis accepiſtis, Rom. Quid habes, Math. 16. Qui dederit poculũ aquæ. Idem 25. Mihi feciſtis. Deut. 15. Tobiæ 4. Pſal. 111. Prouerb. 3. Sed cũ diſcrimine & ratione Eccle. 12. Pſal. 126. Labores manuũ tuarũ manduca. In ſudore uultus. Iob. Vt auis ad uolandũ, ſic homo natus eſt ad laborãdũ.

Qua menſura &c.] Sententia eſt de ſingulis ſuperioribus. Nunquid poteſt cœcus &c.] Quid cœcus, & eius effectus. Quid diſcipulus, ab officio. Docet nos ſua doctrina debere contentos eſſe, aliàs erramus cœci. Cœcus eſt, qui nõ habet ſyncerũ uerbi dei intellectũ, is ſi docuerit non benè docet, & ducit populum. Aiunt: Bonus dux bonum reddit comitem.

Quid uides feſtucam?] Simile addit q̃ ſurdũ & præter decorũ, impiũ, hypocriticũ, & præter charitatẽ ſit de leuibus cauſis proximũ iudicare, cũ nos ſimus ipſi peiores. Admonet, ut facilè feramus, diſsimulemus, & benè interpretemur leuem fratris errorẽ & uitiũ: Vult ut prius deſcẽdamus in noſipſos, et uideamus q̃ curta ſit nobis ſupellex, ſecundũ illud.

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo.

Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo, Carere debet omni uitio, qui in alium dicere paratus eſt. Item. Cõtra 8. præceptũ. Non loqueris falſum teſtimoniũ. Præoccupatio. Admonere fratrem erroris licet, iudicare

dicare ob hoc, aut coram aut retro non licet. Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, arguite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, peccantes, corã omnibus argue, ut cæteri timorẽ habeant 1. Tim. 5. Argue, obſecra, increpa, oportune, importunè, in omni patientia. Clama ne ceſſes, quaſi tubã exalta uocẽ &c. Eſa. 58. Niſi dixeris impio, Impiè morte morieris. Ezec. 18. Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, uade &c. Iacob. 5. Si quis conuerti fecerit ab errore uiæ ſuæ &c. Neſcio quomodo fit ut in alijs magis cernamus q̃ in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur. Apud Perſas plectebatur, qui erranti uiam non monſtraret: Oportet aliorũ errorũ meminiſſe et ſuorũ non obliuiſci. Epilogus & ſumma eſt, de charitate, 1. Corinth. 13. Singula repete & exhortare.

EPISTOLA ROMA. VIII.

Omnes creaturas, adeò & nos omnes eſſe uanitati & corruptioni obnoxios, propterea libenter debemus proximi imbecillitatem, errores, & fragilitatem ſufferre, ut hoc docet Euangelium.

EXiſtimo enim quod non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nã expectatio creaturæ, reuelationem filiorum dei expectat. Vanitati

enim

enim creatura ſubiecta eſt, non uolens, ſed propter eũ qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei. Scimus enim quot omnis creatura congemiſcit & unà parturit uſq; adhuc. Nõ ſolum autem illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.

DOMINICA QVINTA POST *Trinitatis Euangelium, Lucæ V.*

FActum eſt autem cum turba irrueret ad eum, ut audiret uerbum dei. Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genaſareth. Et uidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum piſcatores enim deſcẽderant, & lauabant retia. Aſcendens autem in unam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum ut à terra reduceret puſillum. Et ſedens, docebat de nauicula turbas. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia ue-

ſtra

ſtra in capturam. Et reſpondens Simō, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cœpimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc feciſſet, cōcluſerunt piſcium multitudinem copioſam: Rumpebatur enim rete eorum. Et annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent ſe. Et uenerunt, & impleuerunt ambas nauiculas ita ut mergerentur. Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cū illo erant, in captura piſcium quam cœperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, poſt hac homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

Exordium cum ſuis locis eſt liberum. Propoſitio, Chriſtus docet hoc euangelio uirtutem & potentiam uerbi ſui, ut confirmet diſcipulorum ſuorum fidem:

fidem: ſe ſcilicet eſſe uerum Meßiam, deum & hominem. Præterea curat pro uictu ſuorum, & cōmittit illis ſua officia nihilq́; bene ſuccedere, & omnia eſſe fruſtra, niſi dominus adſpiret & iubeat, ut Ioan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et Pſalm. 126. Niſi dominus ædificauerit domum &c.

Narratio. Piſcatores, concionatores. Rete, uerbum dei. Piſces, homines: Mare, mundus eſt, Duæ illæ naues, Iudæos & Gentes ſignant. In alteram aſcendit Chriſtus, hinc docuit. Inter Iudæos naſci uoluit, ex his ſalus exorta eſt, Ioan. 4.

Duc in altum.] À doctrina producit Chriſtus diſcipulos ſuos ad experientiam & exercitationem, ut eſt in Syrach 2. Fili, accedens ad ſeruitutem dei, ſta in iuſticia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Laxate retia.] Eſt cauſa finalis ſeu uſus retium. Verbum dei debet prædicari, ut capiat & lucrifaciat homines deo.

Per totam noctem.] Nocte laborant, & omnem operam ſumunt fruſtra qui præter Chriſtum & legitimam uocationem docent, aut adminiſtrationem ſuſcipiunt. In uerbo, & iuſſu, uocatione domini laborantibus feliciter & cum fructu ſuccedit res. Debentq́; tum cum omni fiducia & gnauiter ſuam prouinciam adminiſtrare. Rumpebatur rete.] Rete & bonos & malos piſces comprehendit, Matth. 13.

Mali

Mali homines rumpunt eccleſiæ unitatem, & deficiunt ad ſectas & alios errores. In futuro autem ſeculo manebit perpetua unitas. Ideò non rumpebatur rete, Chriſto reſuſcitato, & transfigurato, Ioan. 20.

Annuerunt ſocijs.] Ab Iudæis ad gentes peruenit euangeliũ, Replebuntur ambo. Non ſunt loquelæ neq; ſermones, quorum non audiantur uoces eorum in omnem terram exiuit ſonus eorum.

Procidit.] Geſtus eſt boni adfectus.

Exi à me Domine.] Exclamatio emphatica eſt, præ nimia rei admiratione et ſui extenuatione quod ſe indignum æſtimet, cui dominus tanta exhibeat beneficia. Sic admirantur omnes pij, per quos dominus mira agit, reſpicientes ſuam exiguitatem.

Poſthac homines.] Tradit illi Euangelicam prouinciam, & applicat piſcaturam ad Euangelij functionẽ. Epilogus enumerat ſuperiora et exhortatur.

EPISTOLA I. PETRI III.

Vt ſimus in officio noſtro diligentes.

IN ſumma, omnes unanimes, compatientes, fraterna charitate præditi, miſericordes, amabiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc uocati eſtis, ut benedictionem

ctionem hæreditate accipiatis. Qui enim uult uitam diligere, & dies bonos uidere, coherceat linguam ſuam á malo, & labia eius ne loquantur dolum: declinet autem à malo, & faciat bonũ, inquirat pacem & perſequatur eam. Quia oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorũ: Vultus autem domini ſuper facientes mala. Et quis eſt qui uobis noceat, ſi bonum imitati fueritis? ſed & ſi quid patimini propter iuſticiam, beati eſtis. Timorem autem eorum ne timueritis, neq; conturbemini. Dominum autem deum ſanctificate in cordibus ueſtris.

DOMINICA SEXTA POST TRInitatis *Euangelium, Matthæi V.*

NIſi abũdauerit iuſticia ueſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Audiſtis, quia dictũ eſt antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.

iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo: Racha, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & uade prius recõciliare fratri tuo, & tũc ueniẽs offeras munus tuum. Eſto conſentiẽs aduerſario tuo cito, dum es in uia cũ eo, ne forte tradat te aduerſarius tuus iudici, & iudex tradat te miniſtro & in carcerem mittaris: Amen dico tibi non exibis, donec reddas nouiſsimũ quadrantem.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. Exordiũ *eſt liberum.* Propoſitio. *Chriſtus corrigit* Phariſæo*rum & Scribarum falſam doctrinam de lege & eorum iuſticiã planè reijcit, ut hypocriticam,* Iob. 13. Non *ſubſiſtit in conſpectu eius omnis hypocrita:* Et *docet ueram iuſtitiam.*

Argu*mẽtum euangelij. Qui uolunt ſaluari, oportet eos iuſtificari.* Porrò *duplex eſt iuſtitia, Phariſaica &* Chriſtiana. Phariſaica *repudiatur:* Ergo *Chriſtiana ſeu fidei iuſtitia ſaluamur.* Exponit legẽ *ſecundum dei ſententiam, qui etiam puriſsimos ad-*

y fectus

fectus requirit. Phariſæi aũt putabant ſatis factũ eſſe legi, ſi eam opere externo utcunq; præſtiterint. Chriſtus planè animos deijcit legis expoſitione, Id agnoſcamus uirium noſtrarũ imbecillitatem, et diſcamus Chriſti uſum qui uenit ad legis perfectionẽ, Roma. 8. Defini iuſticiã, Diuide iuſticiam fidei, & legis ſeu operũ & Phariſaicam. Iuſticia fidei puros adfectus requirit in deum, iuſtus ex fide uiuit. Iuſtificati, arbitramur, &c. Roma. Iuſtitia phariſaica externè ſimulat opera legis, inde iuſticiarij, & iuſti: Non ueni propter iuſtos.

Non occides.] Chriſtus diuidit genus in ſpecies eaſq; æquè reas declarat. Quid iraſci temerè et non temerè? Differentia iræ et zeli, Gal. 3. O ſtulti Galatæ, Luc. ult. O ſtulti, tardi. Mat. 5. & 23. Quid racha? Eſt ſignum ſeu geſtus irati, aut prouocantis.

Si offers.] Deo nulla bona opera placent, niſi alamus concordiã cum proximo. Via qua itur ad iudicem eſt hæc uita ante iudicium extremum, niſi uelis ſecundum literam ſimpliciſſime interpretari. Qui offendit debet ſtudere reconciliationi. Offenſus non debet recuſare gratiam, aliâs ex innocuo reus fiet. De concordiæ encomio confirma confutationem. & cætera.

Epilogus recitat ſuperiora, & admonet.

EPISTOLA ROM. VI.

Docet ut mortificato ueteri Adam, in noua uita ambulemus, & mortificati cum Chriſto, eius reſurrectionis particeps ſimus: Idem eſt in euangelio de duplici iuſticia.

AN ignoratis fratres, quod quicũque baptizati ſumus in Chriſtũ Ieſum, in mortem ipſius baptizati ſumus? Cõſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complãtati ſumus ſimilitudini mortis eius ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quod uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra nõ ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quod ſimul etiã uiuemus cũ illo. Sciẽtes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt

peccato mortuus eſt ſemel, quod autem uiuit, uiuit deo. Ita uos exiſtimate uos mortuos quidem eſſe peccato, uiuentes autem deo per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.

DOMINICA SEPTIMA POST TRInitatis *Euangelium, Marci. 8.*

IN diebus illis. Cum turba multa eſſet, nec haberent quod manducarēt conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent, & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in uia. Quidā enim ex eis de longe uenerant. Et reſponderūt ei diſcipuli ſui: Vnde iſtos quis poterit hic ſatiare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos, quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes gratias agens, fregit, & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos, benedixit, & iuſsit apponi. Et manduca-

manducauerunt & ſaturati ſunt, & ſuſtulerũt, quod ſuperauerat de fragmẽtis, ſeptem ſportas. Erant aũt, qui manducauerant, quaſi quatuor milia, & dimiſit eos.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. *Medetur ſollicitudini de uictu. Simile eſt dominica Lætare.* Exordium *eſt liberum cum ſuis locis.* Propoſitio. *Populus fidem, Chriſtus charitatem declarat.* Defini, *diuide. Quid fides? Quid charitas ſeu beneficentia Chriſti? Turba obliuiſcitur ſui, præ deſiderio uerbi. Chriſtus pro ipſis curat, Effectus uerbi.*

Miſereor.] *Eſt uerbũ adfectus, et deo genuinũ.*

Triduo.] *Indicat adfectum turbæ circa Chriſti uerbum. Vnde ab impoßibili ex loci circumſtãtijs. Quid ratio poßit in pietatis negotio, quid ſolitudo? à relatione loci, hic fide opus eſt, quod panes operatur deus per media.*

Accipiens.] *Panes augeſcunt per manus domini, aliâs non item, Domino cooperante, Virtus benedictionis domini eſt.*

Gratias agens.] *Eſt gratitudinis exemplum. Locus communis de gratitudine & ingratitudine.*

Fregit.] *Quid frangere panem? Non manducat ipſe ſolus, ſed diſtribuit. Exemplum beneficentiæ eſt, & liberalitatis erga proximum. Confirma.*

Cauſa efficiens. Dat diſcipulis, diſcipuli turbæ, officium prædicantium.

Et *manducauerunt.*] *Conſequentia fidei eſt, et experientia miſericordiæ* Dei. *Spes non confundit. Cõfirma ſcripturæ locis de cura domini pro uictu:*

Et *ſuſtulerunt.*] *De reliquijs conſeruandis.*

Q*uatuor milia.*] *Numerus apponitur propter miraculi magnitudinẽ. Simile quotannis operatur deus. Ab antitheſi, de diffidentia, et ſingula ſuperiora inuerte.* Epilogus *repetit breuiter et exhortatur*

EPISTOLA ROM. VI.

V*t poſthabita priore mala uita, ſequentes Chriſtũ adſpiremus ad meliorem & Chriſtianam uitam.*

HVmanum dico propter infirmitatem carnis ueſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immunditię et iniquitati ad iniquitatem, ita nũc exhibete membra ueſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſticiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc ex illis, de quibus nũc erubeſcitis? Nam finis illorũ mors eſt. Nunc uerò liberati à peccato, ſerui autem facti deo, habetis fructum ueſtrũ in ſanctifica-

ctificationem, finem uerò, uitam æternam. Stipẽdiũ enim peccati mors eſt, gratia autem dei, uita æterna per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum.

DOMINICA OCTAVA POST TRInitatis Euangelium, Matthæi 7.

ATtẽdite à falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorũ cognoſcetis eos. Nunquid colligũt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Nõ poteſt autem arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorũ cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi: domine, domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent

mihi in illa die: Domine domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis quia nunquã noui uos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

EVangelium eſt Didaſcalicum et deliberatiuum, ubi nos cauet Dominus à falſis doctoribus. Exordium de re ipſa, quàm neceſſariũ ſit inter iudicare ſpiritus. 1. Ioan. 4. & 1 Theſ. 5. Omnia probate. Propoſitio de falſis, & bonis prophetis. Narratio à cautione: Attendite. Quid propheta, quid bonus, quid malus. À cauſis 2. Ab effectu. Qui ueniunt ad uos in ueſtitu ouium, &c. Eſt deſcriptio falſorum Prophetarum. Veniunt non uocati, nec miſsi, Hierem. 23. Quid ueſtitum ouium. Quid lupus.

À fructibus] Eſt interiudicium à ſignis, Gal. 5. Confirma Deu. 13. Hieremiæ 23. Galat. 1. Mat. 14. 25. 1. Ioan. 4. Acto. 20. Rom. 16. 1. Timot. 4. 2. Timothæi. 3. Titum. 1. 2. Theſſal. 2.

Semper Pſeudoprophetæ fuerũt admixti bonis prophetis. Confirma ab exemplis Eliæ, Eſa. Hiere. Apoſtolorũ, Orthodoxorum & Hereticorum,

Nunquid colligunt] À ſimilibus, impoſsibilibus contra naturam. Quid bona, Quid mala arbor.

Omnis

Omnis arbor.] *Argumentum à conſequentijs. Igitur eſt concluſio ſuperioris.*

Non omnis.] *Eſt Antipophora.*

Multi dicent mihi.] *Argumentum à maiore, quo reijcit etiam optima in ſpeciem opera, quia arbor mala, ergo fructus mali. Quid uoluntas patris Ioan. 6. Arduus eſt hic locus. Reijcit Chriſtus, qui etiam uerbum dei docuerunt, & in Chriſti nomine miracula fecerunt: ſed quod ſub prætextu pietatis erant impij, propterea damnantur. Epilogus recitat ſuperiora, & admonet.*

EPISTOLA ROM. VIII.

Nos iam non eſſe debitores carnis, ſed ſpiritu liberos & filios dei eſſe

FRatres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundū carnem uiuamus. Si enim ſecūdū carnē uixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu, facta carnis. mortificaueritis, uiuetis. Quicunque enim ſpiritu dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritū ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater: ipſe enim ſpiritus teſtimoniū reddit ſpiritui noſtro,

ſtro, quod ſimus filij dei. Si autem filij dei, & hæredes, hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamē compatimur, ut & glorificemur.

DOMINICA NONA POST
Trinitatis Euangeliū, *Lucæ* 16.

DIcebat aūt & ad diſcipulos ſuos: Homo quidā erat diues, qui habebat diſpenſatorē, & hic diffamatus eſt apud illū, quaſi diſsipaſſet bona illius. Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem diſpenſationis tuę, ultra enim non poteris diſpenſare. Ait autem diſpenſator intra ſe: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me diſpenſationem? Fodere non ualeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, ut cū amotus fuero à diſpēſatione, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaq; ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantū debes domino meo? At ille dixit: Centum batos olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & ſede cito, ſcribe

ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: tu uerò, quantum debes? Qui ait Centum coros tritici. Ait illi: Accipe cautionẽ tuã, & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus diſpenſatorem iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatiõe ſua ſunt. Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

EVangelium eſt Didaſcalicum, & deliberatiuũ. Docet prudentiam in diſpenſatore. Exordiũ eſt liberum. Capta beneuolentiam, attentionẽ, docilitatem. Propoſitio. Hæc parabola ab exemplo diſpenſatoris, prudentiã, liberalitatẽ, frugalitatẽ & fidelitatem, docet. Narratio, eſt hiſtorica facti cõmemoratio, de fraudulento diſpenſatore, eam nõ eſt operæpreciũ ſuperſtitioſe & allegorice interpretari, quamuis non abſurdũ fuerit breuiter perſtringerę diuitem illud ſignificare deum, diſpenſatorẽ quemlibet hominẽ, cui concredidit dominus bona ſua ſecundũ diuerſa dona ſpiritus 1. Cor. 3. Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, et diſpẽſatores myſteriorũ Chriſti. Idẽ 9. Diſpenſatio mihi concredita eſt. Væ mihi ſi non euangelizem: Sic de alijs donis

diſpenſandis

diſpenſandis. De diſpenſatoribus bonis & malis Lucæ 12. Diſsipare, eſt abuti donis dei. Diffamari, eſt hinc malum ſentire conſcientiam, & iratum deum nec bonum habere teſtimonium ab hominibus & angelis dei. Sentimus dominum uelle à nobis ſua dona auferre, aut ipſa morte, aut aliâs quod & plerunq; re ipſa facit, cũ ab officio reijcit, et facit ex diuitibus inopes, ex ſapientibus inſipientes, Oſeæ 4. Quia tu ſcientiã repuliſti, repellã te, nec ſacerdotio fungeris mihi, Mala. 2. etc. Diuites epulo damnatus eſt, quod non reſpexit Lazarũ. Territi ex metu iudicij et ira domini, reſipiſcimus, et facimus fructus dignos pœnitẽtiæ: Ex fide benefacimus proximo, ex bonis non noſtris, ſed domini. Epiphonema.

Et laudauit dominus.] Non ob fraudem, ſed prudentiam, & addit rationem.

Quia filij huius ſeculi.] Quemadmodũ uafriciẽ et prudentiã furis, nõ furtũ laudamus: Sic hic prudẽtiam Oeconomi. Quid filij ſeculi. Quid filij lucis?

Et ego dico uobis.] Eſt ſimilitudinis aptatio, ab exemplo. Facite.] Eſt pro ſuo more iuſticiarij ſibi ſumunt anſam ſuæ iuſticiæ, et poſitio, & ſcopus euangelij. Hinc meritorum ex operibus, cum ſatis ex ipſo textu liquet hæc ex diametro pugnare: Nam facite inquit diſcipulis, regenitis ex fide, filijs lucis. Non iubet defraudere, corradere diuitias per fas nefasq;

neſisq;, et poſtea facere eleemoſynas et præbendas. Sed qui furabatur iam non amplius furetur, Eph. 4. Quia ego dominus diligẽs iudiciũ, et odio habẽs rapinã in holocauſtũ, Eſ. 61. Docet uſum diuitiarũ, ut per has exerceamus opera charitatis et declaremus fidẽ, et nos eſſe regenitos. Locus cõmunis de liberalitate ſeu beneficentia. De operibus miſericordiæ & charitatis. Confirma ſcripturæ locis, Matth. 10 et 25. Prouer. 3. 14. 19. 21. Tob. 4. Deut. 15. Ab exemplis, de Zachæo Lucæ 19. Et ſi quid aliquem defraudaui reddo quadruplũ. Quid mãmon: Vnde iniquum mammon? Recipient] Eſt conſequentia beneficentiæ in proximum, Math. 10. Amen dico uobis non perdent mercedem ſuam. Item mihi feciſtis. Epilogus ſingula breuiter recitat, exhortatur, minatur & admonet.

EPISTOLA I. COR. X.

Cautio & admonitio eſt ab exemplis & hiſtorijs, ne tentemus dominũ, ne reijciamur quemadmodũ hic malus diſpenſator reiectus eſt.

HAec autem figuræ noſtri fuerũt, ut non ſimus cõcupiſcentes malorum, ſicut et illi concupierunt. Neq; idololatræ efficiamini, ſicut quidã ex ipſis, quemadmodũ ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrex,

ſurrexerunt ludere. Neq; fornicemur ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, et ceciderunt una die uiginti tria milia. Neq; tentemus Chriſtũ ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Neq; murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab extinctore. Hæc autem omnia cõtingebant illis ut eſſent figuræ, ſcripta ſunt autem ad admonitionem noſtri in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, uideat ne cadat. Tentatio uos non apprehendit niſi humana: Fidelis autem Deus, qui non patietur uos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione euentum, ut poſsitis ſuſtinere.

DOMINICA X. POST TRINITAtis, *Euangelium Lucæ* XIX.

ET ut appropinquauit, uidens ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes, & tu. Et quidẽ in hac die tua quæ ad pacẽ tibi, nunc aũt abſcon-

abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te undiq;, & ad terram proſternẽt te, & filios tuos qui in te ſunt. Et nõ reliquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quod non cognoueris tempus uiſitationis tuæ. Et ingreſſus in templum, cœpit eijcere uendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptũ eſt, quia domus orationis eſt, uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum & Scribæ & Principes plebis, quærebãt illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum.

E*Xordiũ. Captatio beneuolentiæ,* Atten. Docili. *Propoſitio de ultione contemptus uerbi* Dei, *& eiectione uendentium & ementium in templo.* Docet *præterea iram et ſeuerũ iudicium dei eb exemplo maiore:* Admonet *nos timoris, & obſeruationis, diſſuadet ſecuritatem.* Chriſtus *item docet nos charitatem,*

charitatem, qui defleuit inimicorum interitum.
Narratio, *Ab effectu miſeriæ & interitus* Hieru*ſalem*: *Eſt relatio adfectus.*

Quia ſi cognouiſſes.] *Spiritu Chriſti imbuti, proſpiciunt futura. Impios autem excæcauit propria ipſorum malitia.*

Et quidem.] *Emphaſis eſt.*

In hac die tua.] *Dies noſtra eſt, cũ nos nobis ca uere & proſpicere poſſumus de bonis noſtris.*

Quæ ad pacem tibi.] *Apoſiopœſis eſt præ adfe ctu & fletu. Quid pax, & cauſa pacis: Quid bellum & eius cauſæ.*

Nunc autem abſcondita ſunt.] *Quia non ſuſci pis eius benignitatem, qua te ad pœnitentiam prouocat: Ergo non perſpicis eius iram, propter contemptũ ſui, ſecura es. Quid cõtemptus & ſecuritas?*

Quia ueniet dies in te.] *Eſt excidij narratio breuis & horrenda.* Huc *deſtructionis adfer hiſtoriam ex Ioſepho, Et Lucæ 23. Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, &c. Excurre in uaticinia prophetarum de tranſmigratione & deſtructione terræ Iſraël, Zach. 12. In die illa erit planctus magnus in Hieruſalem &c. prænunciauit ſemper dominus per prophetas: pœnas futuras. Amos 3. Non faciet dominus uerbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Cõfirma per Noë diluuiũ*

per

per Prophetas, tranſmigrationes Aſſyricas et Baby lonicas, per Lot Sodomæ, per Ionā Niniuæ, & cæ. prænunciauit excidium.

Eò quod non cognoueris.] Cauſa efficiens eſt. Huc refer cauſas belli, peſtis, famis, &c. Quid uiſitare. Sapientia clamitat in plateis: Quia uocaui uos & renuiſtis, Prouerbiorū 1. Eſa. 19. Hiere. 7. Ecce nunc tempus acceptabile 2. Corint. 6. Indigne fert uerbi ſui contemptum, Matthæi 11. Væ tibi Corozaim: Væ tibi Betzaida, &c. Et tu Caper. Non prætermittit inultum uerbi neglectum, pro exemplo eſt Iudæa toties uaſtata, Græcia, Italia. Huc refer hiſtorias: Ergo Germanos ulſciſcetur contemptores.

À minore: Quod ſi pœnas ſumpſit à Sodomis, tribu Beniamin propter fornicationem: Tot regna gentium tranſtulit et deuaſtauit, quanto magis ſupplicium ſumet à blaſphemis et contemptoribus. Vnde Turca eſt nobis iā domini cōminatio. Altera pars: Chriſtus abuſum uerbi dei ferre non poteſt, ideò feſtinat in templum.

A cauſa. Quid templū Hieroſolymæ, et uictimæ ſeu holocauſta? Et hodie Chriſtus eijcit ex ſua eccleſia, ementes et uendentes ſpiritus ſancti dona, gratiam, & remiſſionem peccatorum. Zelus domini quid? ſpelunca latronum? Collatio Chriſti & Phariſæorum. Verbo dei eorum obſtruit ora, ne quid reſponderent, Eſa. 56. His eiectus docet. Idē facit et hodie.

Quærebant eũ perdere.] Sors Chriſti eſt, ſuorumq́; etiamnũ prædicatorũ. Epilogus recitat ſuperiora, terret, admonet, hortatur & dehortatur.

EPISTOLA I. COR. XII.

De uno ſpiritu et uarijs ſuis donis, inter quæ eſt prophetia & futurorum prænunciatio, ut hic in Chriſto, qui prædixit Iudæorum excidium.

DE ſpiritualibus autem nolo uos ignorare fratres. Scitis autem quod gentes fuiſtis, ad ſimulachra muta, prout ducebamini euntes. Ideò notum uobis facio, quod nemo in ſpiritu dei loquens dicit anathema Ieſum. Et nemo poteſt dicere dominũ Ieſum niſi per ſpiritum ſanctum. Diuiſiones uerò donorum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſteriorum ſunt idẽ uerò dominus: et diuiſiones operationum, idem uerò dominus: & diuiſiones operationũ, idẽ uerò eſt deus qui operatur oĩa in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, Alij autem

tem ſermo ſcientiæ ſecundũ eundem ſpiritum. Alteri fides in eodem ſpiritu. Alteri donũ ſanationũ in eodẽ ſpiritu. Aliȷ operatio uirtutũ, aliȷ prophetia, aliȷ diſcretio ſpirituũ. Aliȷ genera linguarũ. Aliȷ interpretatio ſermonũ. Hęc aũt omnia operatur unus atq; idẽ ſpiritus, diuidens ſingulis pro ut uult.

DOMINICA VNDECIMA POST TRINITATIS, *Euangelium Lucæ* XVIII.

DIxit autem et ad quoſdam qui in ſe confidebant, tanquàm iuſti, & aſpernabantur cęteros, parabolam iſtam dicens: Duo homines aſcenderunt in templum ut orarẽt: unus pharisæus & alter publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, uelut etiã hic publicanus. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlũ leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus,

propicius eſto mihi peccatori. Amen dico uobis, deſcendit hic iuſtificatus in domũ ſuam præ illo. Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Exordium eſt liberum à loco, tempore, perſonis, & rebus, cum ſuis locis. Propoſitio. *Euangeliũ hoc, eſt præoccupatio ſuperioris loci, de oratione. Nam ante dixit de efficatia orationis, nunc de diſcrimine orantium inquit. quorum oratio ſuſcipitur, & quorum repudiatur. Proponit ergo duo hominum genera: Phariſæum & publicanum. Phariſæum, ut probiſſimum coram mundo ſine fide: Publicanum, ut perditiſſimum, cum fide. Qua parabola deijcit iuſticiarios operum & erigit deſperabundos peccatores. Porrò ex utriuſq; geſtu & uerbis Chriſtus pronunciat iudiciũ, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Et, ex uerbis tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. Item, quæ ſit iuſticia legalis ſeu Phariſaica. Et quæ ſit iuſticia fidei, eodem hoc loco docemur.* Narratio.

Dixit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant.] *Euangeliſta ipſa præfatione aperit parabolæ ſenſum: nempe ea eſt indoles, uis & effectus Phariſaicæ iuſticiæ, ut ſui confidentes, & philautos faciat, alios præ ſe contemnat, & inferiores iudicat, ſuam*

iuſticiam

iuſticiam mordicus teneat, ſumma ui defendat.

Duo homines aſcendebant.] *Vtraq; honeſta ſunt, locus & opus, ſeu intentio aut cauſa finalis.*

Vnus Phariſæus.] *Deſcriptio eſt perſonarum. Quid Phariſæus. Quid Publicanus, Et qui utriusq; ſunt geſtus & uerba.*

Deus, gratias ago tibi.] *Relatio eſt ad deum, Bene facit quod ſuam probitatem deo refert acceptam. nempe ab ipſo datam. Sed eſt fucata & hypocritica gratiarum actio, quia externam ſuam apparentiam uitæ reſpicit, & cor incredulum & malis adfectibus plenum, ac ſui amore tumidum non animaduertit, atq; hoc naſcitur ex falſo intellectu legis quod eius cauſam, effectum, finem, & officium non conſideramus, & ſic dei ſententiam ſecundum noſtram æſtimamus. Nam deo gratum eſſe pro ſuis donis. Item, Non latronem, iniuſtum, adulterum, & publicanum eſſe ualde bonum eſt: nam deus præcipit in catalogo legis, & aliâs inquit: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum dominus deus ueſter. Sed hac ratione nō ſatis factum eſt deo, & legi: nam lex ſpiritualis eſt, & puriſſimos adfectus cordis requirit, & cum hæc omnia perfecimus, tamen inutiles ſerui ſumus. Habet quidē externa illa iuſticia legis, gloriam, ſed non coram deo, ut Paulus inquit Rom. 4. de Abraham: Quoniā qui facit legem uiuet in ea*

Galat.3.Item,Paul. Gal.1.de ſe prædicat,quod profecerit in Iudaiſmo,ſuper multos coëtaneos ſuos,uehementior æmulator exiſtens paternã traditionũ, adeò ut alibi ſe nullius conſciũ ſciat:attamen propterea non iuſtificatũ eſſe.Imò iuſtitiã iſtam ſuã phariſaicam ſtercori cõparat. Ita oportet illos montes humiliari,et ualles ſublimari, Luc.3. Tranſitio. Iam illa iuſtitia legis nõ facit nos iuſtos coram deo, quoniã non data eſt lex,quæ poßit iuſtificare,quærenda eſt ergo alia iuſticia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, qui ſolus iuſtus eſt,& legem impleuit, eam iuſticiã non conſequimur niſi per fidem. Quoniã iuſtus ex fide uiuit,quã uerè cernimus in hoc publicano fuiſſe,reſpectu uerborũ ſuorum,& geſtus,cum à longe ſteterit,non auſus oculos in cœlum leuare,ſed percuſſerit pectus ſuum,inquiens:

Domine.] Breui oratione ueram pietatis et iuſtificationis rationem declarat,cum deo propiciationẽ,& ſibi peccatum tribuit. Cum deum propicium appellat,credit ſe conſequuturũ remißionem peccatorum. Quoniam ſunt duo correlatiua,propiciatio & remißio.Iam cũ fides ex auditu eſt,oportet eum aliquas ſententias audiße,ut: Miſericordia eius ſuper omnia opera eius.Copioſa apud deũ miſericordia, Pſal. 130. Hinc naſcitur doctrina ueræ iuſticiæ, quæ eſt in ſola fide in Ieſum Chriſtum, ita

tamen

tamen ut legem Decalogi faciamus, non ad finem iuſticiæ, ſed obedientiæ uoluntatis dei, & ad exercitium bonorũ operum, quia fides non eſt ocioſa. Item, poteris obiter dicere. Quid lex? Quæ cauſæ? Qui effectus & officia, & cætera.

Deſcendit hic iuſtificatus.] *Epilogus eſt, & iudiciũ Chriſti de utriuſq;, quod confirmat clauſula.*

Quoniam qui ſe exaltat humiliabitur, &c.] *Item Dominus humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Pſalm. 137.*

EPISTOLA I COR. XV.

Eſt interpretatio Euangelij ubi Paulus ſe minimũ Apoſtolorum appellat, &c.

NOtũ aũt uobis facio fratres euangelium, quod prædicaui uobis, quod & accepiſtis, in quo ſtatis, per quod & ſaluamini, qua ratione prædicauerim uobis ſi retinetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim uobis in primis quod accepi, quod Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris ſecundũ ſcripturas, et quod ſepultus ſit, et quod reſurrexerit tertia die ſecundum ſcripturas, et quod uiſus ſit Cephę et poſt hoc undecim. Deinde uiſus eſt pluſ-

quā quingentis fratribus ſimul, ex qui bus plures manēt uſq; adhuc, quidam autē obdormierunt. Deinde uiſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſsime autem tanquàm abortiuo uiſus eſt, & mihi. Ego enim ſum mini mus Apoſtolorū, qui nō ſum dignus uocari Apoſtolus, quoniam perſecu-tus ſum eccleſiam dei. Gratia autē dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me uacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia dei quæ mecum eſt.

DOMINICA DVODECIMA POST Trinitatis, *Euangelium Marci* VII. *De ſurdo & muto.*

ET iterum exiens de finibus Tyri uenit per Sydonem ad mare Gali leæ inter medios fines decapoleos, Et adducunt ei ſurdum & mutum. Et de precabantur eum ut imponat illi ma-num. Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auricu-las eius, & expuens tetigit linguam eius

eius,et ſuſpiciens in cœlum,ingemuit & ait illi:hepheta,quod eſt,adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius,& ſolutum eſt uinculum linguæ eius,& loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem magis eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui.

EVangelium eſt generis Didaſcalici. Exordium cum ſuis locis eſt liberum. Propoſitio, De fide,et charitate hiſtorialiter circa ſurdum & mutū. Allegorice de lege & euangelio circa omnes homines.

Narratio à definitione eſſentiali fidei & charitatis. À cauſis,ab adfectibus ſeu officijs. Aptatio ad eos qui deferunt ſurdum & mutum.

Adducunt & deprecantur.] Sunt actiones relationis fidei erga Chriſtum, & charitatis erga ſurdum & mutum. Iam oportuit uerbum præceßiſſe fidem illorum: quia fides,ex auditu uerbi,& opera charitatis ſunt ex fide: Ergo qui uerbum non habet errat in utriſq;,ſcilicet fide & operibus. Habuerūt ergo uerbum,famam,& bonum nuncium de Chriſto in ea regione per Syropheniſſam,et dæmoniacū

curatum, unde concipiebant fiduciam de Chriſto, adhuc ſurdum & mutum curandum, ea fiducia facit opera, ut efferant et deprecentur.

Vt imponat illi manum.] *Eſt Periphraſis curationis & argumentum fidei de Chriſti potentia, ſcilicet ſi modo imponat manum, ipſum melius habiturum & curatum iri. Quid imponere manum? Quid manus Chriſti.*

Et cum apprehendiſſet.] *Conſequentia eſt, & effectus alienæ fidei. Quid aliena fides efficiat, & ſignat Chriſtum promptum eſſe ad noſtras preces. Confirma locis: Propè eſt dominus omnibus inuocantibus, &c. Pſalm. 120.*

De turba ſeorſum.] *Eſt curationis narratio, dominus quos curat, à turba impiorum ſegregat, & digito, id eſt, ſpiritu ſancto tangit & ſoluit aures & linguam.*

Suſpiciens in cœlum ingemuit.] *Ab effectu miſerationis ſcilicet, tam nobilem & benè conditam creaturam Dei, tam turpiter à Satana depravatum eſſe.*

Hepheta. Et ſtatim apertæ ſunt.] *Vis & conſequentia uerbi. Dixit & facta ſunt: Signat ſe uerum Deum & Meßiam eſſe.*

Præcepit ne cui dicerent.] *Modeſtia eſt, & prohibitio inanis laudis ſine uero intellectu dei: Præterea docet*

rea docet nos noſtrum officium facere ex corde ſyn cero, ſine ſpe gloriæ.

Sed quanto, &c.] Verum bonum opus ultrò ſequitur ſuum præconium. Iam poſt doctrinã ſequi tur exhortatio ab hoc exemplo, de fide & charitate. Is eſt uſus euangelij, Allegorice ſi uacet. Surdi et muti ſumus relatione priuationis, deus creauit nos rectos & integros, ſed ex lapſu Adæ deprauata eſt noſtra natura peccato, ut iam de deo nec audire, nec loqui poſſumus, & planè non agnoſcere. Iam ſi ſanari uolumus, Chriſto opus eſt: Is per legem quaſi digito commonſtrat fragilitatem noſtram (nam et lex digito ex ſpiritu dei ſcriptura eſt) & tamen non habemus inde melius: Nam lex non eſt data, quæ poſſet iuſtificare, niſi cum Euangelij uerbum Hepheta exprimat, quod eſt uirtus dei ad ſalutem omni credenti, quod uerbum facit nos nouos homines, & laudis dei plenos.

EPSTOLA II. COR. III.

Reſpondet euangelio huius Dominicæ.

FIduciam autẽ talem habemus per Chriſtum ad deum, nõ quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt, Qui idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literæ, ſed

ræ, ſed ſpiritus. Litera enim occidit, ſpiritus autem uiuificat. Quod ſi miniſtratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filij Iſraël in faciẽ Moſi propter gloriam uultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium iuſticię in gloria. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam eſt, multo magis quod manet, in gloria eſt.

DOMINICA XIII. POST TRInitatis, *Euangelium Lucæ* X.

ET cõuerſus Ieſus ad diſcipulos ſuos dixit: Beati oculi qui uidẽt quę uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi prophetæ & reges uoluerũt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderũt & audire, quæ uos auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legiſperitus

ſurrexit

ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo uitam æternam poſsidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt. Quomodo legis? Ille reſpondens, dixit: Diliges dominum Deum tuum, toto corde tuo, & tota anima tua, et omnibus uiribus tuis, & tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum. Dixitq́ꝫ illi: Rectè reſpondiſti, hoc fac & uiues. Ille autem uolens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? Suſpiciens autem Ieſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Accidit autem, ut ſacerdos quidam deſcenderet eadē uia, & uiſo illo præteriuit. Similiter & Leuita cum eſſet ſecus locum & uideret eum, pertranſiuit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit ſecus eũ, & uidens eum miſericordia motus eſt: Et appropiãs, alligauit

alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum,& imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulũ,& curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios,& dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunq; ſuper erogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horũ triũ uidetur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit. Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus. Vade & tu fac ſimiliter.

EVangelium eſt generis Didaſcalici, de lege & euangelio. Exordium à gratulatione fœlicitatis Apoſtolorum, aptatio ad noſtram huius temporis fœlicitatem 1. Petri 1. De uera beatitudine, Matthæi 16. Apoſtoli uiderunt Chriſtum corpore & fide, Iudæi non item: Sic hodie aliter uident Chriſtum pij, aliter impij, Multi reges, Moſes, Dauid, Eſaias, Symeon, & cætera.

Ecce] *Ab euentu.*

Legiſperitus.] *A' perſona, ex hoc cenſebis probiſsimos ſecundum rationem, & opera homines.*

Tentans.] *Cauſa finalis eſt, ut aliquam gloriam populo præſente conſequeretur, Hypocriſis eſt &*

& tales homines & iuſticiarij omnes ſunt: Sed *quo modo accedit, ita dimittitur: nam non uenit ut diſceret, ſed ut tentaret.*

Magiſter.] *Captatio beneuolentiæ eſt.*

Quid faciendo.] Propoſitio, *& quæſtio eſt humanæ rationis, de operibus, de faciendo.*

In lege quid ſcriptum eſt?] Refutat *ipſum ſua ipſius perſona.* Quid *legiſperitus? Scrutamini ſcripturas, &c. Si uis uitã ingredi &c. ac ſi diceret: lex & ſcriptura te docet, cuius es peritus, unde nomen habes:* Narrat *ipſe ſibi.* Diliges *&c.* Quid *diligere dominum deũ ex tota anima, corde, uiribus, mente ſeu opinione?* Quid *diligere proximũ ſicut teipſum?* Quid *diligere?* Quid *proximus?* Quid *tuipſe?* Potes *hæc latiſſimè amplificare.* Cautio *addita eſt, ſicut teipſum.* Collatio, *quid lex exigat, & quid noſtræ uires poſſint.*

Hoc fac & uiues.] *Arguit ipſum nihil horum adhuc feciſſe.* Reſpondiſſet, *hoc facere non poſſum, ergo non uiuam:* Maledicti *qui declinant, &c.* Omnes *declinauerunt,* Pſalmo.

Quis proximus?] *Propoſitio alia:* De *proximo quærit, non de deo.*

Homo quidã.] Narratio *eſt parabolica de lege et euãgelio de perditione et ſaluatione.* Homo Adã *lapſus in latrones, Satanæ ius & legis uim; ab his*

uulneratur

uulneratur conſcientia, iudicio dei per peccata, ſpoliatur integritate naturæ et cæteris ornamentis, Satan ſæuit in naturam hominis & potenter regnat. Semimortuus relinquitur priuatus cognitione Dei (ſiquidem uita æterna eſt, cognoſcere deũ, Ioã. 16.) Fiducia timore, &c. coniectus in uitia, uexatus mala conſcientia, actus ad deſperationem, Sacerdos et Leuita, Patriarcha & Prophetæ, optimi patres & ſancti legalis iuſticiæ, prædicatores legis nihil faciunt ad ſalutem, quanto minus traditiones humanæ. Samaritanus ille abiectiſsimus & contemptiſsimus. Ieſus Chriſtus per eandem uiam in carnem uenit, miſericordia motus, declarat ſuum erga nos adfectum, obligat uulnera conſcientiæ, conſolatione euangelij, erigit, imponit iumento: Verè langores noſtros ipſe tulit, &c. Eſaiæ 1. Petri 2. Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuper lignum, infundit oleum & uinum, Euangelium ſequitur crux, his medetur nobis.

Diuerſorium eccleſia eſt, ubi eius curam agit prædicatione gratiæ, poſtero die à reſurrectione aſcenſurus, depromit duos denarios legem & Euangelium, dat eccleſiæ præfectis concionatoribus ad confirmandas conſcientias.

Quodcunq; ſuperogaueris.] Conſulendo ut Paulus 1. Corinth. 7. Hinc naſcitur præoccupatio

refutatoria

refutatoria aduerſus obiectiones cauillatorias, quas pro ſuis traditionibus confirmandis, hinc ſumunt Bapiſtæ, uolunt ſuperogare cum nondum erogauerunt. Quis ergo?] *Epilogus eſt.*

Qui exercuit miſericordiam.] *Collectio eſt. Samaritanus exercuit miſericordiam*: Ergo proximus eſt, Ergo Samaritanus præſtat Sacerdote, & Leuita, probiſsimis & ſanctiſsimis ſecundum humanum iudicium hominibus. Summa, nihil proſunt etiam ſanctiſsima opera, ſi negligis charitatem in proximum. 1. Cor. 13.

Et tu fac ſimiliter.] *Ab exemplo Samaritani Chriſti*, Diligite uos inuicem, ſicut ego dilexi uos. Ioan. 17. *Summa*, Homo ille uulneratus ſeſe iuuare nõ poteſt, nec addit quicquã operibus Samaritani: Sic pij nihil addunt operibus Chriſti, in ſalutis ratione.

EPISTOLA GAL. III.

De Lege et Euangelio, ſeu promiſsione, & cæt. & reſpondet Euangelio.

FRatres, ſecundum hominẽ dico, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo reſcindit aut ſuperordinat. Abrahę dictæ ſunt promiſsiones & ſemini eius. Non dicit et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in

uno. Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus: Hocautem dico, teſtamentum confirmatum à deo in Chriſtũ, lex poſt quadringentos & triginta annos facta nõ irritum facit ad euacuandam promiſſionem. Nam ſi ex lege hæreditas, iam non ex promiſsione. Abrahæ autem per promiſsionẽ donauit Deus. Quid igitur lex? Propter tranſgreſsiones poſita eſt donec ueniret ſemẽ cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unus nõ eſt, deus aũt unus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet uiuificare, uere ex lege eſſet iuſticia. Sed cõcluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut ꝓmiſſio ex fide Ieſu Chriſti, daretur credẽtibus.

DOMINICA XIIII. POST TRInitatis euangelium, *Lucæ 17.*

ET factum eſt, dum iret in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem

ei decem uiri leproſi. Qui ſteterunt à longe, et leuauerunt uocem, dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri. Quos ut uidit, dixit: Ite, oſtendite uos ſacerdotibus. Et factum eſt, dum irēt: mundati ſunt. Vnus autem ex illis ut uidit quod mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna uoce, glorificās deū. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agēs. Et hic erat Samaritanus. Reſpōdens aūt Ieſus, dixit: Nónne decem mundati ſunt? Et nouem ubi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, et daret gloriā deo niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge uade, quia fides tua te ſaluum fecit.

Evangelium eſt generis Didaſcalici. *Exordium eſt in concionatoris arbitrio, de loco, tempore, perſonis, &c.* Propoſitio, *Leproſi fidem, Chriſtus charitatem docet.* Narratio *eſt hiſtorica de itinere Chriſti.* Præmittes *doctrinam de fide & charitate. Quid fides? Quæ cauſa? Qui effectus* 1. Corinth. 13. *& in epiſtola* Ioan. *Diuiſio fidei hiſtoricæ & iuſtificantis. Quid charitatis? Quæ cauſæ? Qui effectus?* Aptabis *& declarabis fidem in leproſis, charitatem in Chriſto.*

Leuauerunt uocem.] Opera effectus & uerba fidei ſunt.

Ite, oſtendite uos ſacerdotibus.] Charitatis effectus eſt, & exauditionis promptitudo. Hinc Bapiſtæ ſumunt auricularis confeßionis confirmationẽ ſatis abſurde, quamuis improbanda non eſt, ſi recte fiat. Ab officio ſacerdotum in lege ueteri, de iudicio lepræ. Leuitici 13.

Dum irent mundati ſunt.] Conſequentia fidei, & uis uerbi dei eſt.

Vnus autem ex illis.] Arguit paucitatem gratias agentium & agnoſcentium dei beneficia. Non abs re addit Euangeliſta Samaritanum, ab alijs Iudæis ſpretum & abiectum. Qui homines grati, qui ingrati ſunt deo.

Nónne decem mundati ſunt: et nouẽ ubi ſunt?] Taxat ingratitudinem. Locus de ingratitudine.

Fides tua te ſaluum fecit. Declarat cauſam efficientem. Epilogus repetit ſuperiora de fide & charitate.

EPISTOLA GALAT. V.

De lepra animæ et mundicia.

DIco autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis nõ perficite. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritũ. Spiritus

Spiritus autem aduerſus carnem. Hęc enim ſibi inuicem aduerſantur, ut nõ quæcunq; uultis, illa faciatis. Quod ſi ſpiritu ducimini, nõ eſtis ſub lege. Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt: adulterium, fornicatio, immundicia, laſciuia, idolorum ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico uobis ſicut & prædixi, quod qui talia agunt, regnum dei nõ conſequentur. Fructus autẽ ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia. Aduerſus talia nõ eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum adfectibus & concupiſcentijs. Si ſpiritu uiuimus, ſpiritu & ambulemus. Non ſimus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

DOMINICA XV. POST TRINITAtis Euangelium, Matthæi VI.

NEmo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim unũ odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterũ contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Ideò dico uobis, ne ſolliciti ſitis animæ ueſtræ quid manducetis, neque corpori ueſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt, quàm eſca, & corpus plus quàm ueſtimentum. Reſpicite uolatilia cœli, quæ non ſerunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Nónne uos magis pluris eſtis illis? Quis autẽ ueſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de ueſtimentis quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcũt. Non laborant, neq; nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unũ ex iſtis. Si autem fœnũ agri, quod hodie

eſt,

eſt, & cras in clibanum mittitur, deus ſic ueſtit, quanto magis uos modicæ fi dei? Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicētes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater ueſter, quia his omībus indigetis. Querite ergo primū regnū dei, et iuſticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinū: craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malicia ſua.

EVangelium eſt generis Deliberatiui. *Diſſuadet à uentris ſollicitudine.* Exordiū *eſt liberū, aut de prauitate humani ſtudij ad cogendas opes, et diffidētia erga deū.* Propoſitio *eſt hic uice narrationis.*

Nemo poteſt duobus.] Chriſtus orditur à prouerbiali ſententia uniuerſali et impoßibili ſeu negatiua: ſiquidē contraria non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, Id *probat ætiologia.* Hic *locus planè eſt enthymema, cuius integer ſyllogiſmus eſt:* Nemo *poteſt duobus dominis ſeruire, deus et* Mămon, *duo diuerſi ſunt domini: ergo nō poteſtis deo ſeruire et* Mămoni. *Quid deus & ipſi ſeruire? Quid* Mămon *& ipſi ſeruire? Quæ cauſæ? Qui effectus? &c.*

Confirmatio, quàm honeſtum, utile, iucundum, facile, antiquum, neceſſarium ſit deo ſeruire. Confutatio ab Antitheſi, quàm inhoneſtum, inutile, abſurdum, difficile ſit Mammoni ſeruire. Præoccupatio aliud eſt ſeruire, aliud eſt habere Mammon. Confirmatio ab exemplis, Abraham, Loth, Iob, Dauid, Salomon, Heſter &c. Quis uſus, quis abuſus Mammonis? Alia præoccupatio. Aliud eſt ſollicitum eſſe, aliud eſt in fide laborare. In ſudore uultus, Gen. 3. Labores manuum tuarum manducabis, Pſal. 128. Hinc infert & ſumit propoſitionẽ contra ſollicitudinẽ.

Ideò dico uobis.] Mimeſis hominum eſt. Id refutat argumento à maiori. Eſt ne anima pluſquàm eſca, &c. ac ſi diceret: Qui dedit uitam, dabit certè cibum, qui dedit maius, dabit certè minus. Confirmat ab exemplis à minore, à uolatilibus uictum, à lilijs ueſtitum.

Non ſerunt.] Circumſtantiæ ſunt et opera quærendi uictum.

Pater ueſter.] Ergo multo magis nos paſcet. Collatio. Quid diſtet inter nos et uolatilia, et fœnũ. À circumſtantijs.

Quis autem ueſtrum cogitans.] Eſt ironica permiſſio & cõfutatoria, noſtra ſolicitudine nihil poſſe proficere. Ab impoſſibili & abſurdo.

Et de ueſtimentis &c.] Alia pars propoſitionis eſt, de ueſtitu.

Confi=

Conſiderate lilia agri.] *Confutatio ab exem- plo minori.*

Quoniam nec Salomon.] *Exempli magna col- latio eſt.*

Si autem fœnum,etc.] *Circumſtantiæ minoris.*

Modicæ fidei.] *Taxatio eſt diffidentiæ noſtræ.*

Nolite ergo ſolliciti eſſe.] *Concluſio eſt ſuperi orum. Gentes ſunt ſolliciti: ergo Chriſtianos & pi- os non decet eſſe ſollicitos, ſed fidere, & pro ſua uo catione laborare. Aliud eſt pro uentre, aliud eſt in ſua uocatione ſolicitum eſſe, Rom. 12.*

Scit pater.] *Patris cura de nobis ſuis filijs.*

Primum quærite regnum Dei.] *Chriſtianas le- ges præſcribit, ut ſit prima et ſumma nobis cura de quærendo regno & eius iuſticia. Quid regnum dei & eius iuſticia? Regnum dei, uerbum dei, & euan gelium Chriſti eſt: eius iuſticia & fides per chari- tatem operans.*

Et hæc omnia adijcientur uobis.] *Conſequen- tia fidei eſt, & promiſsio dei. Locus communis de uictu, Pſalmiſta 54. Iacta ſuper Dominum curam tuam, &c. Iunior fui, etenim ſenui, &c. Pſalm. 36. Ab exemplis, Dominus pauit filios Iſraël in deſer- to, Heliam, & uiduam Sareptanam. Dominus pa- ſcit nos quotidie miraculoſe, et præter opinionem. Contra auariciam. Qui uolunt diuites fieri incident*

in tentationes multas, & laqueum diaboli.

Epilogus repetit breuiter ſingula, hortatur ad fidem, & ad ſuæ uocationis honeſtum laborem, dehortatur à ſollicitudine.

EPSTOLA GALAT. VI.

Vt multitudo ſuos paſtores liberaliter nutriat, ne ſint ſolliciti de uictu.

SI ſpiritu uiuimus, ſpiritu & ambulemus. Nõ ſimus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, talem inſtaurate manſueto ſpiritu, cõſiderans teipſum ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic perficietis legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe decipit. Opus autem ſuum probet unuſquiſq;, & ſic in ſemetipſo tantum gloriationem habebit, & non aduerſus alterũ. Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit. Communicet autem doctori in omnibus bonis, is qui docetur uerbum. Nolite errare, Deus non irridetur:

quæ

quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam æternam. Bonum autẽ facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum erga omnes, maximè autem erga domeſticos fidei.

DOMINICA XVI. POST TRINITAtis, *Euangelium* Lucæ VII.

ET factum eſt deinceps, ibat Ieſus in ciuitatem, quæ uocauit Naim & ibãt cũ eo diſcipuli eius & turba copioſa. Cũ aũt appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ. Et hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidiſſet dominus, miſericordia motus ſuper eã, dixit illi: Noli flere. Et acceſsit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterũt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit

qui

qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & glorificabant deum, dicẽtes: Propheta magnus ſurrexit in nobis, & deus uiſitauit plebẽ ſuam. Et exijt hic ſermo in uniuerſam Iudæam de eo, & omnem finitimam regionẽ.

EVangelium eſt generis Didaſcalici, *docet fiduciam in bonitatem* Chriſti, *deſignat item legem & euangelium & rationem iuſtificationis.* Exor*dium à re ipſa.* Singul*æ euangelicæ hiſtoriæ, in quibus* Chriſtus *reſuſcitat mortuos & curat infirmos: ſunt exempla bonitatis & auxilij* Chriſti, *quæ nos fidem docent, ſcilicet,* Chriſtum *eſſe dominum mortis & omnium infirmitatum, autorem uitæ ſalutis, & omnis conſolationis.* Propoſitio: *Eſt hiſtoria de bonitate* Chriſti, *quod iuuat adflictos, etiam præter opinionem.* Exemplum *conſolationis eſt omnibus adflictis conſcientijs,* Pſal. 33. Iuxta *dominus his qui tribulato ſunt corde,* Pſalm. Adiutor *in oportunitate, in tribulatione.* Fidelis *eſt deus, qui non ſinit ſuos tentari ſupra quàm ferre poſſunt.* Item, *locus eſt de reſurrectione.* Narratio. *Hiſtoriam textus breuiter perſtringe per circumſtãtias à relatione.* Quid *uidua?* Quid *filius unicus, idem mortuus? dolorem*

lorem dolori addit dominus, calicem mœroris re-
plet, abyſſus abyſſum inuocat. Non ſatis fuit uidu-
am eſſe, uirum eſſe ablatum, quin oportuit reliquã
ſpem & conſolationem, filium, eumq; unicum mo-
ri. Quid mori? Aſtantium nemo iuuare & ſaluti cõ
ſulere poteſt, quicquid pro uita datur, plus facit ad
mortem, nihil præter mœrorem, planctum, lamen-
tationem & ſepulchrum ipſum ſupereſt. Beneficia
dei tum primũ cognoſcimus, cum ſunt ablata. Chri-
ſtus permittit omnia ad extrema uſq; deſperationẽ
peruenire, tandem præter opinionem & meritum
ex ſola miſericordia motus uenit, & iuuat. Ab ex-
emplis: Illud exercet in ſuis omnibus, diuerſa ratio-
ne & modo, ut in Lazaro filia ſacerdotis Iayri: De
inde & nobis omnibus hoc euangelico tempore,
Chriſtus docet nos, deſperatis omnibus non debere
de ipſo, & eius bonitate deſperare. Ex hac narra-
tione naſcitur propoſitio legis & euangelij. Allego
ria. Quid lex? Quæ cauſæ? Qui effectus, ex Paulo fe
re omnia. Non enim eſt data lex ut iuſtificaret, ſed
lex ſubintrauit ut abundaret delictum, & iram dei
operaretur. Per legem cognitio peccati: Premium
autem peccati mors eſt. Iam mors in omnes perua-
ſit, quia omnes peccauerunt. Effectus legis, fletus eſt
relatione adfectus. Adfectus carnales, ad mortem, ſe
pulchrumq; & extremam deſperationẽ perferunt.
Hic

Hic uires humanæ, & liberum arbitrium nihil ualent. Hæc omnia in mortuo adoleſcente uidua deſignantur. Chriſtus autem dominus mortis, & autor uitæ obambulat, ut ſuam gratiam impartiat & iuuet præter opinionem meritum, adeò et fidem ex ſola miſericordia cum ſuo euangelio accedit, conſolatur uiduam, tangit loculum, ceſſant adfectus & impetus carnales.

Noli flere.] *Euangelica uox eſt. Quid euangelium? Quæ cauſæ? Qui effectus? Fides uiduæ ſuſcipit euangelium. Confirma locis communibus.* Ego ſum reſurrectio et uita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur.

Adoleſcens dico tibi ſurge.] *Ad uocem & uirtutem uerbi Dei reuiuiſcimus. Venit hora, ut qui in monumentis ſunt, audient uocem filij Dei, & qui audierint uiuent.*

Locutus eſt.] *Sunt uera ſigna & fructus uiui hominis. Eadem anima reuertitur: ergo animæ poſt mortem uiuunt: Et eſt ſpecimen futuræ reſurrectionis. Corde creditur ad iuſticiam, ore confeßio fit ad ſalutem.*

Dedit matri.] *Perfecta conſolatio eſt.*

Admiratæ ſunt turbæ, & magnificabant dominum] *Mirabilia opera dei, & glorioſa. Magnum illum*

illum prophetam æſtimant, de quo Moſes Deut. 18. Ergo Meßiam eſſe credunt.

Epilogus, Legem ſequitur fletus, euangeliū ſequitur lætitia: Admiratio et magnificentia dei, Matthæi 5. Beati qui lugent, quia ipſi conſolabuntur.

Expende lætū uiduæ animū. Cauſa miraculi eſt ut oſtenderet rationē noſtræ damnationis et ſalutis, ut confirmaret animas eſſe immortales, et dormire in ſinu dei. Iuſtorū animæ in manu dei ſunt. Item futuræ reſurrectionis ſpecimen, ut ſperemus per ipſum corpora noſtra reuictura, utq; doctrinā ſuam confirmaret, ut quæ eſt planè diuina & diuinæ potentiæ. Sunt qui uiduā eccleſiam, filium peccatorē non abſurdè exponunt. Obiter excurre in mortis cōſolationem, atq; ut ſuſcipiamus uiduas.

EPISTOLA EPHE. III.

Reſpondet euāgelio. De potentia, altitudine, latitudine, & profunditate Chriſti, hoc eſt eſſe, ubiq;, & in omnibus potentem.

QVapropter peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis quę eſt gloria ueſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrē domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis ſecundum diuitias gloriæ

gloriȩ ſuæ, uirtute corroborari per ſpi ritum ſuum in interiorem hominem, ut Chriſtus habitet per fidem in cordi bus ueſtris, ut in charitate radicati & fundati ſitis, ut poſsitis comprehende re cũ omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profun ditas, & cognoſcere charitatem Chri- ſti, quæ ſuperat captum noſtrum, ut compleamini in omnem plenitudinẽ dei. Ei autem qui potens eſt cumulate omnia facere abundantius, quàm peti mus aut intelligimus, ſecundũ uirtu- tem quȩ eſt efficax in nobis ipſi gloria in eccleſia per Chriſtum Ieſum in om- nes ætates ſeculi ſeculorum, Amen.

DOMINICA XVII. POST TRINI- *tatis euangelium, Lucæ 14. De hydropico.*

ET factum eſt cum introiſſet Ieſus in domum cuiuſdam principis. Phariſæorum ſabbato ad manducan- dum panem, & ipſi obſeruabãt eum. Et ecce homo quidam hydropicus e- rat ante illũ. Et reſpondens Ieſus, dixit ad legis

ad legis peritos & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato curare? At illi tacuerunt. Ipſe uerò apprehenſum, ſanauit eum ac dimiſit. Et reſpondens dixit: Cuius ueſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die ſabbati? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem et ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerēt, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus ab illo, & ueniens is, qui te & illũ uocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cũ rubore nouiſsimum locum habere: Sed cũ uocatus fueris, uade recũbe in nouiſsimo loco, ut cũ uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.

EVangelium eſt generis Iudicialis, ſtatus legitimi. Alera pars eſt generis Deliberatiui. Exordium eſt liberum cum ſuis locis. Propoſitio. Quid lex, & quatenus ſeruanda: Et ut nos modeſte geramus, humiliterquè ſentiamus. Item in hydropico fides, in Chriſto charitas declaratur. Narratio. Orditur à loco & perſonis.

Obſeruabant eum.] Arguit eorum captabundum & maleuolum animum.

Ecce hydropicus.] Ab euentu.

An licet Sabbato curare?] Quæſtio, ſeu propoſitio eſt. À definitione. Quid ſabbatū? Quotuplex? Quid curare? Cautio. Maledictus omnis qui opus fecerit in die ſabbati, curare opus eſt, ergo maledictū. Item, eſt inter decem præcepta uetitum.

Illi tacuerunt.] Quia obſeruabant, & captabant ſi quoquò modo poſſet labi. Item, noluerunt cum ipſo argumentari: quia ſciebant ipſum eſſe argutiorē, cognita habebant & loca ſcripturæ pro & contra ſe, quare ſabbatum ſeruare oportet, & tamen tranſgredi licet, ut poſtea ipſe exponit.

Apprehenſum ſanauit.] Chriſtus ubi habet beneficiendi occaſionem non prætermittit, etiam ſi lex obſtet. Exemplum nobis imitandum: Apprehenſu nos ſanat, potentia manus Chriſti eſt. Hic oritur quæſtio, iure ne Chriſtus ſanat? quia lex prohibet

ſabbato

ſabbato opus facere. Curare uerbum actiuũ eſt, opus ergo eſt, quamuis Chriſtus etiam plerunque uerbo ſanat. Reſpondet, charitas excuſat, ab exemplis: Nam Moſes quadraginta annis nullum circumcidit, Dauid contra legem comedit panes propoſitionis, 1. Regum 21. Aliâs ſummum ius, eſſet ſumma iniuria: ut, mergere infantulum hyeme in baptiſmo &c. Reſpondet, concedo charitatẽ, poſſet utiq; diſtuliſſe craſtinum, ne eſſet offendiculo. Reſpondet, Salomon inquit, ne dicas cras redi, cum ſtatim poßis benefacere. Cõcluſio, Ergo lex cedit charitati: Nam lex eſt pro charitate, ergo lex contra charitatẽ, non eſt lex. Nec legem tranſgredi licet niſi excuſet charitas, et urgeat neceßitas. Aliâs ſub maledictione uetitũ eſt. Alia quæſtio. An ſimus ab obſeruatione ſabbati liberi? Reſpondet, quatenus ab alijs Decalogi præceptis. Quamuis translatũ eſt non tamen ablatum eſt. Hic confer legẽ & charitatẽ. Confirma à ſimilibus, Iephte, de Ionatha. 1. Reg. 14. 2. Reg. 14. Herodis &c. qui ob iuramentũ occidit Ioannẽ, qui legem charitati prætulerunt, & peccarunt. Dauid iurauit occidere Nabal & eius domũ euertere, Correxit tamen iuramentum. 1. Reg. 25.

Cuius ueſtrum aſinus.] Argumentum à minori

SVADET altera pars euangelij modeſtiam ſeruandam in omnibus, maxime in pietatis negotio.

Et quanto ſublimiores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geramus. Quid modeſtia, ſeu humilitas? Ab Antitheſi. Quid ſuperbia & arrogantia? Confirma & amplifica ſententijs, locis & hyſtorijs ſcripturæ.

Quia omnis qui ſe exaltat.] *Clauſula eſt & Epilogus, conſtat enumeratione & exhortatione.*

EPISTOLA EPHE. IIII.

De *unitate fidei, ne ſit inter credentes diſſenſio.*

Obſecro ita uos ego uinctus in domino, ut digne ambuletis uocatione qua uocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem per charitatem. Solliciti ſeruare unitatē ſpiritus per uinculum pacis. Vnum corpus et unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtrę. Vnus dominus. una fides, unū baptiſma, unus deus & pater omniū, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus uobis eſt.

DOMINICA XVIII. POST TRINItatis, *Euangelium Matth.* XXII.

De *mandato magno.*

PHariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Saducæis, cō uenerunt

uenerunt in unum. Et interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnũ in lege? Ait illi Ieſus: Diliges dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua. Hoc eſt maximũ & primum mandatũ. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Congregatis aũt phariſæis interrogauit eos Ieſus, dicẽs: Quid uobis uidetur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid, ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu uocat eũ dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, ſede ad dextris meis, donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorũ? Si ergo Dauid uocat eum Dominum quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere uerbum, neq; auſus fuit quiſquàm ex illa die eum amplius interrogare.

PRior pars Euangelij eſt generis Didaſcalici. Altera eſt generis Iudicialis, ſtatus legitimi. Propoſitio. Duo docet hic locus: Legem & Chriſtum ſeu euangelium, atq; hæ ſunt principales partes pietatis. Narrationis exordium hic eſt. Tranſitio rhetorica à perſonis Phariſæorum, & animi adfectu ſeu habitu: quippe Chriſtum coram uulgo pudefacere, & ſibi hinc gloriam parare.

Legis doctor.] À perſonæ circumſtantia.

Tentans.] Ab animi cõditione omniũ impiorũ.

Magiſter.] Subdola et ironica captatio beneuolentiæ. Quod eſt mandatum magnum.] Propoſitio ſeu quæſtio eſt & magiſtralis quidem.

Magnum.] Phraſis hebræa eſt, nos maximum dicimus, ſcilicet quo cætera omnia mandata complectuntur.

Diliges dominum deum.] Narratio eſt. Defini quid diligere dominum ex toto corde, id eſt, ſerio, ex intimis adfectibus. Ex tota anima, id eſt, uita & opere. Ex tota mente, id eſt, opinione, æſtimatione, & iudicio, Ioan. Qui habet mandata mea, et ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.

Si quis diligit, &c.] Singula per diſtributionem amplificabis.

Hoc eſt maximum.] Tranſitio eſt. Quid diligere? Quid proximus? Quid ſicut teipſ[illegible]m? Poteris latiſsime amplificare In

In his duobus.] *Epilogus eſt propoſitionis et prioris partis* Euangelij. Hoc *eſt, in uniuerſum lex & prophetæ hunc ſcopum urgent, huc referuntur omnia.* His *addit dominus conditionaliter benedictionẽ, ſi ſeruentur. maledictionem, ſi tranſgrediantur.* Iam *conferenda eſt natura hominis.*

ALTERA PARS EVANGELII.

IAm *cognita lege, quæ terret et peccatum oſtendit & iuſticiã præſcribit, quã noſtris uiribus aſſequi non poſſumus, quamuis ſecundũ literam ſeruata, iuſtos facit coram mundo, ſed non corã deo, ut inquit* Paulus. *Qui facit legem, uiuet per eam,* Gal. 3. Nam *oderunt peccare mali formidine pœnæ. Quomodo aũt coram deo iuſti ſimus, neceſſaria eſt, et Chriſti cognitio qui legem impleuit, per cuius gratiã, remißionem peccatorum uitam æternã, gratiam patris, ſpiritũ bonum accipimus, incipimus deum diligere per Chriſtũ.* Et *dilectio eſt perfectio:* Ergo *ſolũ Chriſtiani dilectione implent legem.*

Interrogauit eos.] *Hanc propoſitionem propterea adducit Chriſtus, ut taxet & confundat ſuper horũ ſcribarum et phariſæorum ignorantiam ſcripturæ de Chriſto, ad quid ipſe datus ſit.*

Quid uobis uidetur de Chriſto?] Propo*ſitio ſeu quæſtio eſt.* Re*ſpondet ex ſcriptura* Dauid.

Quomodo ergo?] Re*futat ſeu diluit autoritate ſcri*

pturæ, Pſal. 110. Et argumento à pugnantibus: Nã relatione patris non facile poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto filius & dominus. Dominus ſignificat apud Hæbreos diuinã potentiã. Litẽ ſoluiſſet definitio Chriſti ſeu Meßiæ, & ætymologia uocis Emanuël ſi recordati fuiſſent ex Eſa. 7. Reſpondiſſent ſimpliciter. Meßias deus & homo eſt: Ergo ſecundum diuinitatem dominus & deus eſt, Secundum carnẽ filius Dauid eſt, Secundum diuinitatem dei, ſecundũ carnem Dauidis filius eſt. Adeò & Chriſtus ſtatim in principio refutationis dat huius ſolutionis cauſam, cum inquit: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu? Reſpondiſſent, in ſpiritu uocat eum dominum, in carne filium. Signat acutiſſimam rationẽ, nõ poſſe deum cognoſcere etiam ſi ſacram ſcripturam ad unguẽ teneamus, niſi reuelet ſpiritus. Filium nemo nouit niſi pater, & patrem nemo nouit niſi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Et ut inquit Chriſtus Petro: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, &c.

Vſus huius loci eſt & fructus, ut cognoſcamus Chriſtum dominum, & filium Dauidis, deum & hominem, Et mediatorem inter deum & hominem eſſe. Amplifica quid ſua diuinitate nobis conferat.

Epilogus repetit ſuperiora.

EPISTOLA I. COR. I.

De uera cognitione pietatis gratulatio.

Gratia

GRatias ago de meo ſemper pro uobis, de gratia dei, quæ eſt data uobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti eſtis per illū, in omni uerbo, & in omni ſcientia (ſicut teſtimoniū Chriſti cōfirmatū eſt in uobis) ita ut nihil uobis deſit in ullo dono expectantibus reuelationē Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & cōfirmabit uos uſq; in finē ſine crimine in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti.

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS, *Euangelium Mat. 9. De Paralytico.*

ET aſcendens Ieſus in nauiculam, transfretauit, & uenit in ciuitatē ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticū iacentem in lecto. Et uidens Ieſus fidē illorum, dixit paralitico: Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cum uidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus ueſtris. Quid eſt facilius dicere dimittuntur tibi pec

cata, an dicere: ſurge & ambula? Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico: Surge tolle lectum tuum, & uade in domum tuã. Et ſurrexit & abijt in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

EVangelium eſt generis didaſcalici de fide et charitate. Item de ratione iuſtificationis. Exordium eſt ab itinere Chriſti. Narratio eſt hiſtorica textus recitatio. Propoſitio naſcitur ex narratione, de fide paralytici, & portantium, et charitate Chriſti. Item, de remiſsione peccatorum, qui eſt articulus fidei. Quid fides? Quæ cauſæ? Qui effectus? Quotuplex? eam confirmationis loco ab exemplo, demonſtrabis in paralytico & portãtibus, per ſingulas circũſtantias ex Mar. 2. Quid charitas? Quæ eius cauſæ? Quæ ſpecies? Qui effectus? 1. Corin. 13. Eam cõmonſtrabis in Chriſto, & portantibus. Fides & oratio quid poßit aliena. Vt alterius ſapientia non ſapimus, ſed conſequimur ſapientiam. Sic aliena fide non ſaluamur, ſed conſequimur fidem. Alterius oratione non conſequimur iuſtificationem. Sic infantem

tem

tem offerimus Chriſto in baptiſmo per fidem et orationẽ, ut conſequatur fidem & iuſtificationem.

Confide fili.] Euangelica & gratiæ uox eſt, ab effectu bonitatis & facilitatis Chriſti erga nos.

Remittuntur tibi peccata.] Maiora dat Chriſtus quàm rogatur, Diues in omnes qui inuocant illum, non tantum uult ſanare corpus, ſed & ſaluare animam: Non tantum tollere morbũ, ſed & peccatum morbi cauſam.

Hic blaſphemat.] Adſectus impiorum circa dei opera. Quid blaſphemare?

Vt quid cogitatis?] Benigna refutatio eſt.

Quid eſt facilius dicere.] Vtrunq; ſolius dei opus eſt, remittere peccata, & uerbo ſanare. ac ſi diceret: ut eſt Ioan. 10. Si mihi creditis, utiq; factis credite, ut cognoſcatis quia pater in me eſt, & ego Deus ſum. Atque ut ſciatis, & confirmem reipſa me eſſe Deum.

Ait paralytico: ſurge. &c. Et ſurrexit.] Virtus & potentia uerbi eſt, & fidei fructus, Quid Paralyticus?

Videntes turbæ.] Noſtrũ officiũ eſt glorificare deũ in mirabilibus ſuis. Eadẽ eſt ratio iuſtificationis Omnes ex Adã deprauati, paralytici ſumus, et ad omne opus bonum reprobi. Chriſtus ex ſola gratia & miſericordia uenit; cuius bonitatis Euangelica

fama

ſama mihi narratur: hinc fides datur quæ me ad Chriſtum ducit, hunc in integrum reſtituor. Deſperata res fuiſſet cũ paralytico niſi iſtac tuiſſet Chriſtus ita nobiſcum: Vt paralyticus ad ſuam ſanitatem, præter fidem nihil addidit Chriſti operibus: ſic nos quoq; in ſalutis ratione. Hunc paralyticum pro exemplo habeant omnes adflictæ conſcientiæ, & ægri ualetudinarij etc. Ab Antitheſi. Quid diffidentia? Quæ cauſæ? Qui effectus? Quæ ſpecies? Quid contemptus proximi? Quæ cauſæ? Qui effectus? Allegorice, Paralytica anima inermis & ægra decumbit in lecto deprauatæ carnis. Per euangelium Chriſti, reſtituta ſaluti, rurſum carnem in ſua iura redigit. Epilogus conſtat enumeratione, adfectu & exhortatione.

EPISTOLA EPHE: IIII.

De uera ſanatione et renocatione. De exuitione ueteris Adæ, & induitione noui Adæ, ſecundum exemplum curati Paralytici.

DEponite uos ſecundũ priſtinam conuerſationẽ ueterẽ hominem qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis ueſtræ, & induite nouum hominem qui ſecundũ deum creatus eſt

in iuſtitia

in iuſticia & ſanctitate uera. Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatē unuſquiſq; cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicē membra. Iraſcimini & nolite peccare. Sol nō occidat ſuper iracundiam ueſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſsitatem patienti.

DOMINICA XX POST TRINItatis, *Euangelium Matthæi* XXII.

De *nuptijs*.

SImile factū eſt regnū cælorū homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Iterū miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis. Ecce prandiū meum paraui tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata uenite ad nuptias. Illi autē neglexerunt & abierunt, alius in uillā ſuā, alius uerò ad negociationē ſuā, reliqui

liqui uerò tenuerunt ſeruos eius, et cō tumelijs adfectos occiderunt. Rex aūt cum audiſſet iratus eſt, & miſsis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatē illorum ſuccendit. Tūc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidē paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarū, & quoſcunq; inueneritis uocate ad nuptias. Et egreſsi ſerui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerūt, malos & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcūbentibus. Intrauit aūt rex, ut uideret diſcūbentes: Et uidit hominē non ueſtitū nuptiali ueſte, & ait illi: amice, quomodo huc intraſti non habens ueſtem nuptialē? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis pedibus, & manibus eius mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium: Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.

EVangelium eſt generis didaſcalici. Argumentū à ſimili: Vt ſe habēt nuptiæ, ita prædicatio gratiæ.

Exordium

Exordium eſt in concionatoris arbitrio, habet captationem beneuolentiæ, attentionis et docilitatis. Propoſitio de *euangelio gratis euulgato: primum parabolam proſequere, de contemptu* Iud*æorum et ſuſceptione gentium.* Deinde *ad euangelium applica. Simile eſt ſupra dominica ſecunda,* Luc.14. Nar*ratio à finitione.* Q*uid nuptiæ? etc. À cauſis, officijs effectibus et circunſtantijs nuptiarum.* Hic excurre *obiter in commendationem matrimonij in genere demonſtratiuo rei.* Q*uid matrimonium?* Q*uæ cauſæ?* Q*ui effectus?* Q*uæ partes?* Q*uæ officia partium?* Epheſ. 5.6. *Ab accidentibus. Ab omni conditione.* À *conſequentijs.* À *ſignis.* À *circunſtantijs.* C*onfirmatio ab honeſto, utili, neceſſario, facili, iucundo, antiquo, à ſimilibus, exemplis, à ſententijs ſcripturæ.* Abu*ſus matrimonij, ſi ob diuitias, uoluptatem, luxuriam, &c. contrahitur.* A *correctione.* Ab *Antitheſi.* Fornicatio. Q*uæ cauſæ?* Q*ui effectus ſeu euentus? & cõſequentiæ?* I*am hanc parabolam adapta ad euangelij prædicationem ſeu iuſtificationis rationem.* R*egnum cælorum eſt ubi prædicatur euangelium, ſuſcipitur & uires capit, aut ipſa ſalutis ratio.* Eu*angelium comparat* Chri*ſtus nõ uulgaribus ſed regalibus nuptijs.* Homo *ille diues eſt pater cœleſtis, cauſa efficiens, hic fecit nuptias filio ſuo* Chri*ſto, ubi carnem induit & duxit uxorem.*

Eccleſiam, per fidem & externa ſacramenta, baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam, iunxit ſibi annuli uice. Quid nuptiæ? eſt matrimonij confirmatio. A cauſa finali ut ſimus unum corpus cum Chriſto & ſuorum bonorum particeps, Geneſ. 3. Rom. 8. Ab officijs. Non adferre noſtra, ſed grato ſuſcipere animo, edere, bibere, & lætari. Ab effectu. Nuptiæ reddunt homines lætiores: ſic prædicatio Euangelij gratiæ dei, adfert ſpiritum lætiorem, conſcientiam reddit tranquillã, pſallimus, canimus & exultamus domino, Ephe. 5. qui locus eſt huius euangelij epiſtola interpretatoria. Serui ſunt Euangelici prædicatores primum prophetæ, deinde Apoſtoli. Inuitati ſunt Iudæi per prophetas.

Nolebant uenire.] Iudæi contempſerunt euangelium, adfectus mundi erga dei uerbum. Tauri & altilia ſunt Chriſtus ipſe, Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli, hos ſignat ſua cognitione dominus, & tandem ad ſuas nuptias mactat ut inde edãtes lætemur. Quæcunq; ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam, &c. Ro. 15. Omnia parata ſunt contra humana merita.

Venite ad nuptias.] Euangelica prædicatio gratiæ, adflictis conſcientijs conſolatoria eſt. Quid uenire? Nemo uenit niſi inuitatus.

Illi neglexerunt.] Præ uoluptatibus, diuitijs, honoribus, negociationibus huius uitæ contempſerũt.

Atq;

Atq; id peccatum quidem non eſt, ſed propterea nõ uenire ad nuptias peccatum eſt, & dei contemptus.

Alij contumelijs adfectos, occiderunt.] *Sors prædicantium eſt.*

Rex *autem cum audiſſet iratus eſt.*] Non *fert* Deus *uerbi ſui contemptum, nec relinquit inultum, pro exemplo eſt* Iudæa & *tota* Turcia, Munſterũ. Non *fuerunt digni,* Iudæis *gratiam aſpernantibus, uocantur gentes,* Actorum 13. Oportuit *uobis primum prædicare &c.* Ite *in mundum uniuerſum.* Boni *et mali ſunt in eccleſia* Chriſtiana, *adeò mali iuſtitiarij,* Antichriſtus *cum ſuis ſocijs primas partes occupant ſub prætextu pietatis, uſq; dum rex ueniat uiſurus conuiuas, reperiatq́; non ueſtitos ueſte nuptiali, id eſt fide, & proijciat in tenebras exteriores, æternam damnationem.*

Multi *ſunt uocati.*] Claudit *ſententiam.* Quid *uocatus?* Quid *electus.*

Epilogus *conſtat enumeratione & exhortatione.*

EPISTOLA EPHE. V.

De *ſpirituali læticia nuptiali*

VIdete itaq; fratres quomodo caute ambuletis, nõ quaſi inſipiẽtes ſed ut ſapientes, redimẽtes tẽpus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite

 fieri

fieri imprudentes, ſed intelligẽtes quę ſit uoluntas dei, & nolite inebriari uino in quo eſt luxus, ſed impleamini ſpiritu ſancto, loquentes uoſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallẽtes in cordibus ueſtris domino, gratias agẽtes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti deo & patri. Subiecti inuicem in timore Chriui.

DOMINICA XXI. POST TRINItatis, *Euangelium Ioan. 3. De Regulo.*

ET erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaũ. Hic cũ audiſſet quod Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eũ, et rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filiũ eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia uideritis, non creditis. Dixit ad eum Regulus: Domine deſcende priuſquã moriatur filius meus. Dixit ei Ieſus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat.

ibat. Iam autē eo deſcēdente, ſerui occurrerūt ei, & nunciauerūt, dicentes: quod filius eius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat: Et dixerunt ei, heri hora ſeptima reliquit eū febris. Cognouit ergo pater, quod in illa hora erat, in qua dixit Ieſus: filius tuus uiuit. Et credidit ipſe & domus eius tota. Hoc iterū ſecundū ſignū fecit Ieſus cum ueniſſet à Iudæa in Galilæam.

EVangelium eſt generis didaſcalici. Exordiū cum ſuis locis. Propoſitio de fide Reguli, et charitate Chriſti. Narratio, à finitione. Quid fides? Qui effectus ſeu officia? Quotuplex? Obiter inſinuabis & tolles tædium idem audiendi. Confirmationis loco ab exemplo eſt hoc euangelium, cuius circunſtātias diligenter expende, & quaſi in domum Reguli ingredere, hic uides omnem familiam eſſe turbatam pro filio, nullā ſpem uitæ eſſe reliquam, mortē eſſe in foribus. Ab euentu. Regulus audit Chriſtū ueniſſe in Galilæam, concipit ſibi de Chriſti bonitate fiduciā, quæ ſibi ex fama denunciabatur, ut qui nullum reijcit, nec inauditum relinquit.

Abijt, rogabat.] Sunt effectus & opera fidei.

Vt deſcenderet.] *Eſt propoſitio negocij, quæ quidem fidem ſed imperfectam oſtendit ad collatio tionem fidei Centurionis: Domine auge nobis fidē.*

Niſi ſigna.] *Eſt familiaris taxatio diffidentiæ. A ſimili diſcipulorum, ut non tam ſignis, quàm ſuo uerbo credamus. Obiter de ſignis extremis adſperges. Sic nunquàm accedimus ad Chriſtum quin reuertimur doctiores & meliores, ita erudit & ducit fidem noſtrā à uiſibilibus ad inuiſibilia, à corporalibus ad ſpiritualia, à rationalibus ad ſupra rationem, à lactea & infirma fide ad ſolidiorem, omnia per tentationem. Ita mala noſtra cedunt nobis ad optima, etiam cum putamus deum nobis durum, ut in puero robur, ita fides creſcit.*

Domine deſcende] *Conſtantia etiā mediocris fidei, impetrat, mediocris fides eſt utiq; fides eſt.*

Vade filius tuus uiuit] *Promiſsio & uerbū dei maiorē dat fidē. Cauſa fidei ex auditu uerbi, Rom. 10. fides & promiſsio ſunt correlatiua.*

Credidit] *Fides ſuſcipit uerbum dei, idq; facit nos uoti compotes, In eius uerbi mediatione, et fiducia abit, interim in uia eius fides diuerſa agitatur opinione. Tandem ne ſuos tenet plus quàm ferre poſſunt.*

Serui occurrunt.] *Qui facillantem fidem certificarent, & uerbi dei efficatiam teſtarentur.*

Interroga-

Interrogabat horã] *A ratiocinatione, dominũ exaudiſſe quàm primum petimus, etiam ſi aliquandiu differt & diuerſa appareant, ea fiunt omnia ad fidem confirmandam. Ergo uult nos ſoli ſuo uerbo fidere & facere quod præcipit: cætera ſuæ uoluntati committenda. Sequi quò duxerit, ire quò iuſſerit & ferre quicquid impoſuerit. Ita fiet ut uideamus mirifica domini. Ab exemplo Abraham, Moſe, & cætera.*

Credidit ipſe & domus eius tota.] *Fuit felix filij ſui infirmitatis: Diligẽtibus deũ omnia cooperãtur in bonũ, Ro. 8. Fit ſuæ domus eccleſiaſtes, prædicat mirabilia domini ab officio patris familiâs. Fructus et uſus huius euangelij, Sic in omnibus aduerſis, internis & externis, ubi nulla ſpes reliqua eſt, ad Chriſtum cõfugere debemus, quẽ audimus propter noſtrã ſalutem in carnẽ ueniſſe, credamus, accedamus, rogemus, impetrabimus, quãuis aliquãdiu dominus promiſſa protrahit. Aliud, in quibuſuis neceßitatibus ad uerbi præcones aut aliquẽ aliũ pium fratrẽ quaſi ad Chriſtum accede, tuam neceßitatem expone. Ibi quicquid promißionis, et conſolationis tibi ab ipſo ex dei uerbo dicitur, quaſi à Chriſto ipſo dictũ puta, crede, & uidebis tua uota.*

De charitate. Chriſtus habet uirtutẽ et poteſtatem iuuandi, eam libenter quibuſuis impartit, &

præſenti auxilio adeſt, ita quiſq; Chriſtianus libenter ſua dona proximo impartiat. Epilogus *conſtat enumeratione ſuperiorum & adfectu.*

EPISTOLA EPHE. VI.

De armatura & conſtantia fidei in omnibus tentationibus & aduerſis.

CAeterum fratres mei cõfortamini in domino et in potẽtia uirtutis eius: Induite uos armaturam dei, ut poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniã non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem et ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mũdi rectores tenebrarũ harũ, cõtra ſpirituales nequitias in cæleſtibus: Propterea accipite armaturam dei, ut poſsitis reſiſtere in die malo, & omnino parati ſtare. State ergo cincti lũbis ueſtris ueritate, et induti lorica iuſticię & calciati pedes pręparatione euãgelij pacis. In omnibus ſumentes ſcutũ fidei, quo poſsitis oĩa tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeã ſalutis aſſumite, & gladiũ ſpiritus quod eſt uerbum dei.

DOMINICA XXII. POST TRINI- tatis, *Euangelium Mat. 18. De debitore.*

IDeò aſsimulatum eſt regnnm cælorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cũ ſeruis ſuis. Et cũ cœpiſſet rationẽ ponere, oblatus eſt ei unus qui debebat decem milia talentorum. Cum autem nõ haberet unde redderet, iuſsit eum dominus eius uenundare, & uxorem eius, & filios & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens aũt ſeruus ille, rogabat eum, dicens: Patiẽtiam habe in me, et omnia reddã tibi. Miſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eũ, et debitũ dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit unũ de conſeruis ſuis, qui debebat ei centũ denarios. Et tenens eum ſuffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogat eum dicẽs: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abijt et miſit eum in carcerẽ, donec redderet debitum. Videntes aũt conſerui eius,

quæ fiebant contriſtati ſunt ualde, & uenerũt, et narrauerunt domino ſuo omnia, quæ facta fuerant. Tunc uocauit illum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me; nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego miſertus tui ſum? Et iratus dominus eius, tradidit eũ tortoribus quoad uſq; redderet uniuerſum debitum. Sic & pater meus cœleſtis faciet uobis, ſi nõ remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus ueſtris.

E*uangelium eſt generis* Deliberatiui *ſeu hortatorij ad agnoſcentiam.* Exordium *eſt in poteſtate concionatoris, aut ducitur à ſuperioribus.* Propoſitio *eſt de ignoſcentia, ubi* Chriſtus Petrum *erudit interrogantem de ignoſcentia.* Item *quomodo res noſtra cũ domino ſe habet.* Item *de lege & euangelio.* Oportet *præfari de duplici regno* Ciuili *et* Chriſtiano. In *ciuili licet ſuum repoſcere, defendere, ſuũ ius perſequi, uim ui repellere, de ſuo dare nec ne, etc.* Chriſtianũ *aũt regnũ, eſt regnũ gratiæ, clementiæ, miſericordiæ, ignoſcentiæ, de ſuo iure concedere, bénefacere malefacientibus, bene uelle inimicis, &c.*

&c. Ea duo regna conferes et diſcernes ne commiſceantur. Ciuile regnum ius et tranquillitatem cõſeruat, uiolentiam et iniuriam prohibet. Chriſti regnum ſupra ius ignoſcentiam & miſericordiam exercet. Et inde elicies quæ ſit ciuilis iuſticia, & quæ Chriſtiana, quæ coram deo ualet. Ciuilis iuſticia ſecundum legem et peccatũ nos damnat. Chriſtiana iuſticia nos declarat iuſtos ex miſericordia per Chriſtum. Narratio parabolam perſtringit, dominus exigit è nobis rationem, quum lex reuelat legẽ, quæ oſtendit debitum 10000. talentorũ. Per legem cognitio peccati. Videmus nos non eſſe ſoluendo, etiamſi uxorem, liberos, & omnẽ ſubſtantiam uendamus, hoc eſt, quicquid omnino noſtrum eſt et poſſumus, & anima et corpore. Rogamus tollerantiã dum ſoluamus, promittimus meliora. Ea eſt falſa et uana intentio humanæ rationis, ubi ſentimus iram dei, lex iram operatur et reuelat, dominus miſertus uidens uirium noſtrarum, et liberi arbitrij imbecillitatem præter ſpem, & ſupra quàm rogare audemus, totũ debitũ dimittit gratuito. Ita intus agimus cum deo, foras autem ingreßi ad proximum naturæ prauitatem, & ingratitudinem egregiè declarantes, beneficentiæ immemores: ut adulterini Chriſtiani, fratri ne centum quidem denarios, leue delictũ, remittere uolumus, tractamus inhumaniter, ſuffo-

camus & deijcimus in carcerem. Confer millenari *um ad centarium numerum.* Talenta ad denarios *per auxeſim & extenuationem.* Id conſerui, angeli cõcionatores, & pij, uidentes homines iam eſſe ingratos et immemores beneficiorum dei, tanquàm nullos ſe cõformes facere doctrinæ Chriſtianæ, præ rei indignitate contriſtati, narrant & quæruntur domino. Is accito ſeruo ingratitudinem & beneficij obliuionem, exprobrat, expoſtulat, & iure contendit ſui exemplo. Occupatio. Poſſet ſeruus dixiſſe: Tamen iure licet ſuum repoſcere, id ego feci, quare ergo damnor? Reſpondiſſet Dominus. Tuis ipſe te uerbis conuinco, Si licet iure ſuum repoſcere, & meum abs te iure repoſco: Ergo redde. Ad hæc ſeruus muteſcit, ſcit ſe conuictum. Non poſſumus domino reſpondere unum pro mille. Iob. 9. Conuictus & male meritus, traditur tortoribus malæ conſcientiæ qui demum in carcerem deijciunt ad inferos uſq;, donec, id eſt, nunquàm reddit debitum? Ea eſt conſequentia falſorum Chriſtianorum. Tantũ differt Chriſtiana à ciuili iuſtitia.

Sic & pater ueſter] Epilogus hypoteticus eſt. Adapta hæc ad noſtra præfracta tempora 2. Pet. 3.

EPISTOLA PHIL. I.

Confidit Paulus dominum confirmaturũ eãm gratiam quam cœpit in nobis per Chriſtũ, quæ eſt

remiſsio

remiſsio peccatorum, & donatio gratiæ, ut eſt in hoc euangelio. Meminit quoq; uinculorum ſuorũ, quæ docent nos libenter pati carceres, propter fratres, tanto minus alios in carceres conijcere, ut hic conſeruus conſeruum.

GRatias ago deo meo in omni memoria ueſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro om̃ibus uobis. cũ gaudio deprecationẽ faciens, quod cõmunicatis Euangelio à prima die uſq; nunc. Et cõfido hoc ipſum, quod qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet uſq; ad diem Chriſti Ieſu, ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus uobis, eò quod habeam uos in corde, et in uinculis meis, & in defenſione et cõfirmatione Euangelij, uos inquam omnes ſocios gratię. Teſtis enim mihi Deus eſt, quod cupiã omnes uos eſſe in uiſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, ut charitas ueſtra magis ac magis abũdet in agnitione, & in omni ſenſu, ut probetis potiora, ut ſitis ſynceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fru-

ctu

ctu iuſticiæ, qui eſt per Ieſum Chriſtũ ad gloriam & laudem Dei.

DOMINICA XXIII. POST TRInitatis, *Euangelium Matth. 22.*

TVnc abeuntes Phariſæi, conſiliũ inierũt ut caperẽt eũ in ſermone. Et mittũt ei diſcipulos ſuos cũ Herodianis, dicẽtes: Magiſter, ſcimu s, quia uerax es, & uiam dei in ueritate doces & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonã hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uidetur: Licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autẽ Ieſus nequitia eorũ ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtẽdite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium: Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt dei, deo. Et audientes mirati ſunt & relicto eo abierunt.

EVangelium eſt generis deliberatiui conſultorij. Exordiũ cum ſuis locis eſt in concionatoris arbitrio.

trio. Propoſitio de cenſu ſoluendo. Item, locus eſt de magiſtratu. Præfatio euangeliſtæ aperit Phariſæorum ſubdolum & uafrũ conſilium: cuius ſcopus erat ut caperẽt Ieſum in ſermone, ut quoquo modo poſſet labi & peccare in magiſtratũ, ut tolleretur de medio, aut certè apud populum diffamaretur et exautoraretur. Ita adornata interrogatione & captatione ut quomodocunq; reſponderet, aut in magiſtratum, aut populum peccaret. Iam expone circunſtantias magiſtratus Romani & Iudæorum, qui libertatem adfectabant. Non eunt ipſi, ne ſuſpicarẽtur fallaciæ, nèue confunderentur, mittunt diſcipulos ſimplicitatis ſpecie, quosq; non multum refert, cõfundi, adiunctis Herodianis qui redderẽt teſtimonium læſæ maieſtatis. Tanta eſt prauitas rationis et humani cordis, adeò omnia hominis, ſenſus & cogitatio prona ſunt ad malũ, ſtatim ab ipſa adoleſcẽtia

Magiſter ſcimus quia uerax es.] Ordiũtur aut adoriũtur potius à captatione beneuolentiæ ex ſubdolo corde. Egregia prædicant ut alliciant ad ſe et captent. Præter uoluntatẽ uera prædicant de Chriſto, & uelint nolint impij, teſtimonium reddunt ueritati. Eximios titulos præmittunt, præter ſententiam, & rectè quidem.

Verax es & uiam dei in ueritate doces.] A doctrina. Non eſt tibi cura de aliquo.] Ab animi qualitate & decoro doctoris. Non

Non reſpicis perſonam.] Ergo nec hic metues Cæſarem propter ueritatem. Ab officio, & autoritate Doctoris.

Dic ergo, licet ne cenſum dare Cæſari an non?] Vafra, ſubdola, fallax & captatoria propoſitio ſeu quæſtio eſt, ad quam quomodocunq; reſpondemus, fallimur: conſultius ergo eſt, aut penitus ſilentio præterire, aut fallaciam fallacia trudere. Collige circumſtantias cenſus, Cæſaris, & Iudæorum. Iam captant reſponſum. Si ait: peccabit in populum, exautorabitur & profligabitur ut Samaritanus & falſus doctor: Si negat, peccabit in Cæſarem, cuius hic adſtant miniſtri, qui defenderent, accuſabant, & morte damnabunt.

Cognita nequitia.] Ipſe eſt ſcrutator cordium & renum. Ipſi omne cor patet, & omnis uoluntas loquitur. Omnia ſunt retecta & aperta oculis eius. Non eſt conſilium, prudentia aut ſapientia contra Dominum.

Quid me tentatis hypocritæ?] Acris increpatio eſt: Non aſſumit magnificos illos titulos, etiam ſi uera prædicent. Docet nos, blandos ſemper habendos eſſe ſuſpectos. *Vos hypocritæ*] Taxat eorum fraudem, arguit mentem mali conſciam, facitq; perterritos. Quid hypocritæ?

Oſtendite.] Vt ſumeret commodā reſpondendi occaſionem

occaſionẽ et ſuis ipſorũ argumentis eos cõuinceret Numiſma arguit Cæſarẽ eſſe ipſorum magiſtratum & terræ, dominum. Qui publice monetam cudit & eius moneta ſuſcipitur terræ dominus eſt. Iam cũ Cæſar cudit eiusq; monetã patimini: Ergo Cæſar terræ dominus imperator & magiſtratus eſt.

Reddite ergo, Cæſari, quæ ſunt Cæſaris] Cui tributũ, tributum, cui uectigal, uectigal, cui honorem, honorẽ &c. Ro. 13. Non abrogat quæ ſunt magiſtratus. Cogitaretis potius, quare uos non cuditis monetã, unde peregriuum & non propriũ regem habetis, quare amiſiſtis ueſtrũ: Locus communis de magiſtratu. Defini quid magiſtratus? Quæ cauſæ? Qui effectus? ſeu officia magiſtratus & populi etc. Ro. 13. 1. Petri 2. Sapientia 5. Quotuplex? Diuide in ſpecies. Ab Antitheſi tyranni, is totidem habet Hunc locum poteris amplificare.

Et quæ dei ſunt, deo reddite.] Occupatio eſt eſt, qua indicat nos duplicem habere magiſtratum, ſpiritualem & ciuilem. Confer utrunq; et diſcerne. Deus ſummus magiſtratus eſt, eiq; magis obediendum, Acto. 5. Debemus timorem, amorem, fidem et obedientiam. Magiſtratui debemus obedientiam, quatenus non imperat contra dei uerbum. Poteris adaptare ad noſtros magiſtratus.

Audiẽtes mirati ſunt, & abierũt] Nihil poteſt humana

humana ſapientia ad diuinam. Gratulatio eſt noſtræ in Chriſto ſapientiæ, ad mundi ſapientiã, quod noſtra longè præſtantior eſt & ſuperior. Epilogus repetit ſuperiora, & hortatur.

EPSTOLA PHILIP. III.

Cautio eſt à falſis, prauis, & maledoctis hominibus quales ſunt hic Phariſæi.

Imitatores mei eſtote fratres, et obſeruate eos qui ſic ambulant, ſicut habetis formam noſtrã. Multi enim ambulant quos ſæpe dicebã uobis, nunc aũt & flens dico, inimici crucis Chriſti, quorũ finis interitus, quorũ deus uenter eſt, & gloria in cõfuſione ipſorum qui terrena ſapiũt, noſtra aũt cõuerſatio in cœlis eſt. Vnde etiã ſaluatorẽ expectamus dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ, qui reformabit corpus humile noſtrũ, configuratum corpri ſuo glorioſo, ſecundũ efficatiam qua poteſt ipſe ſubijcere ſibi omnia. Itaq; fratres mei chariſsimi et deſideratiſsimi gaudium meum et corona mea, ſic ſtate in domino chariſsimi. Euodiam adhortor & Syntichen

Syntichen adhortor ut ſint cõcordes in domino. Etiam rogo & te compar ſyncere adiuua illas quæ mecum labo rauerunt in euangelio, cum Clemente & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro uitæ.

DOMINICA XXIIII. POST TRINI tatis, *Euangelium, Matth. 9.*

HAec illo loquente ad eos, ecce princeps unus acceſsit & adorabat eũ dicẽs: Domine, filia mea modo defuncta eſt, ſed ueni, impone manũ tuam ſuper eam, & uiuet. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum et diſcipuli eius. Et ecce mulier quę ſanguinis fluxũ patiebatur duodecim annis, acceſsit retro et tetigit fimbriã ueſtimẽti eius: dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantũ ueſtimentum eius, ſalua ero. At Ieſus conuerſus & uidens eam, dixit: Confide filia, Fides tua ſaluam te fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Et cum ueniſſet Ieſus in domũ principis & uidiſſet tibicines & turbam tumultuan-

tē,dicebat:Recedite,nō eſt enim mortua puella,ſed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta eſſet turba,introiuit,& tenuit manum eius,& dixit:Puella ſurge. Et ſurrexit puella, & exijt hæc fama in uniuerſam terram illam.

Evangelium eſt didaſcalicum. Exordiū *cum ſuis locis eſt in cōcionatoris arbitrio, aut à ſuperioribus.* Propoſitio *de efficatia fidei in* Iayro *& muliere, de charitate* Chriſti. Imperfecta *fides, in* Iayro *iudæo & principe Synagogæ.* Perfecta *fides in muliere gentili.* Item*,de oratione.* Narratio *à definitione fidei.* Quæ *cauſæ?* Qui *effectus?* Quod *correlatiuū.* A *diuiſione.* Quotuplex *fides?* Quæ *partes?* Ita *definies charitatem & orationem.* Confirmationis *loco eſt hoc euangelium ab exemplo* Iayri *& mulierculæ.* Iayrus *urgente neceßitate & morte filiæ,tentatis & deſperatis omnibus,bonā ſpem & fiduciā concipit de* Chriſto*,de eius bonitate et beneficijs,ubiq; quibuſuis collatis audierat, ſperat ſe quoque nō paſſurū repulſam.* Non *eſt ocioſus,eius fides non eſt ſegnis,habet ſua opera,abit,accedit,adorat rogat,neceßitatem ſuam exponit.*

Domine,*filia mea modo defuncta eſt*] Filia *cauſa efficiens eſt orationis.* Agitat *animam,rei neceßitas & negocium eſt.*

Veni

Veni ut imponas manum.] *Cauſa finalis orati onis eſt. Abeunte patre, filia tantum agebat animã, ſed ſua ratiocinatione iam erat mortua. Quod rogat uenire & imponere manum imperfecta, & infirma fides eſt, ad ſidem Centurionis gentilis collata. Hinc confer perfectam & imperfectam fidem.*

Imperfecta fides, utique fides eſt, & impetrat. Quem admodum infans etiam in utero matris paruus homo eſt, utiq; tamen homo eſt.

Surgens Ieſus ſequebatur eum.] *Chriſtus exprimit charitatis exemplum: quippe qui habet ſanandi, iuuandi, medendi, & uiuificandi uirtutem, eam libenter alijs communicat, ſurgit, abijt, ſanat & uiuificat.*

Ecce mulier.] *Ab euentu. Mulier tentatis & deſperatis omnibus medicis, & præſidio humano, iam omnibus uiribus corporis exhauſtis, à morbo concipit fiduciam in Chriſtum de bono eius nuncio & fama, accedit, tangit, & ſanatur.*

Acceßit retro.] *Vt ita ſuffuraretur Chriſto eius gratiã et ſuam ſanitatẽ, incognita ſua immundicia.*

Si tetigero fimbriam.] *Maior firmior fides eſt hæc quàm Iayri. Non patefecit Chriſto ſuam neceſſitatem, nec rogat imponere manum: ſed firmiter credit tantam eſſe ſanandi uirtutem in Chriſto, ut ſi modo tam propè accedat ut poſſet tangere non*

modo corpus aut ueſtem,ſed ſolum fimbriam ueſtimenti eius,ſanaretur. Occupatio. Non quod tactus fimbriæ ſeu ueſtimēti,adeò et totius corporis Chriſti ſanat,ſed illa fiducia,quæ credebat ſingularē eſſe in Chriſto uirtutē.Ita omnia quæ Chriſti ſunt,diuina & energitica ſunt:tangas eum quocunq; tangas,modo tangas fide,ſanaris, & accipis tua uota. Porrò eam fidem non patitur Chriſtus latere,iuſſa eſt prodere in conſpectū, & palàm profiteri rem, & ſuæ fidei habere præconium.

Confide filia.] Admodum conſolatoria,euangelica et exhilarans uox eſt de diuturnis anguſtijs.

Fides tua.] Cauſa efficiens eſt. Hunc locum ſi uacat & libet, poteris amplificare ſententijs & exemplis ſcripturæ.

Vade in pace.] Vltra non moleſtabit te morbus tuus.Salua ſis à plaga et flagello tuo:ergo quæque infirmitas eſt flagellum dei quo inobedientes,et & male meritos filios corripit,1.Corinth.11.Dum iudicamur,à domino corripimur,ne cum hoc mundo damnemur.Ea eſt ſumma conſolatio in omnibus aduerſis. Hoc exemplo princeps Synagogæ cōfirmatus certior eſt de ſalute filiæ ſuæ. Interim tamen eius fides nō manet impugnata:nā ſerui occurrunt, nunciāt filiā eſſe mortuā,ne longius ſollicitet magiſtrum,actum ſiquidē,et conclamatū eſt, deſperata res eſt.

res eſt.Hic concidit fides Iayri.Chriſtus autē continuo erigit & reddit animū.Noli timere, crede tantum,& ſalua erit.Tanta res eſt conſtans fides.

Vbi uentū eſt ad ædes,inuenit tybicines plangētes mortuam puellā.] Superſtitioſus, & adſcititius mos Iudæorum erat,à gentibus imitatus.

Nolite flere] Conſolatoria et euāgelica uox eſt.

Non eſt mortua puella,ſed dormit.] Relatione ſui:nam Chriſto omnes dormiunt.Locus eſt de futura reſurrectione.

Deridebant eū.] Indoles mundi et rationis eſt.

Eiecta turba introiuit] Noluit intrare niſi prius eiecta turba.Mundus deridet Chriſtū in ſuis myſterijs,propterea etiā ut indignus eijcitur ne uideat miracula dei:Nolite ſanctū dare canibus etc. Qui nō receperint uos,exite etc.Ita et hodie uidemus eijci ad ignorātiā,deriſores uerbi dei.Hæc poteris amplificare.Ingreſſus tantū admittit parentes,& tres diſcipulos qui teſtentur,& agnoſcant ſingulare dei opus.Docet,non eſſe dei opera,dona, & mirabilia indignis,& irriſoribus proſtituenda,nec in his popularem aurem,& fauorem eſſe quærendum.

Tenuit manum puellæ,& inquit,Puella ſurge] Apprehenſu,& uoce Chriſti reuiuiſcimus. Vis & efficatia uerbi dei. Amē dico, quia hora eſt, quia mortui in monumentis audient uocem dei, & qui

audierint,uiuent. Qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit uiuet. Hic *fides & oratio aliena, reſtituunt uitam puellæ.*

Iußit dare cibum.] *Ad argumentum uiui hominis,ne putarent eſſe phantaſmaticũ corpus.Eadẽ anima quæ fuit ante,reuertitur ad puellã, ergo animæ uiuũt:Et hoc eſt ſpecimẽ futuræ reſurrectionis.*

Præcepit ne cui dicerent.] *Prohibet opus dei rapere in abuſum,& uanam iactantiã. Eſt & modeſtia Chriſti, quæ docet, ne in dei opere noſtram gloriam quæramus,aut ne cum deus quicquam boni & egregij per nos operatur inde ſuperbiamus, & nobis,noſtræ uirtuti,ſcientiæ,prudentiæ & operibus adſcribamus.*

Et exijt hæc fama in uniuerſam terram illam.] *Dominus facit ſuum opus in te perſpicuum etiam te inuito,atq; hoc optimum eſt. Non carebit benefactum gloria. Neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera tua &c.Cum feceris eleemoſynam,noli tuba canere. Vſus Euangelij eſt, poſt hiſtoriam ſequi doctrinam & exhortationem. Vt ſimili ratione in qubuſuis neceßitatibus conſtituti, ad Chriſtũ aut quemuis qui Chriſti uice fungitur, per fidẽ,uerbo dei ducti,accedamus,noſtram neceßitatem exponamus, petamus auxilia,audiamus conſolationẽ,concipiamus morbi noſtri medelã,& credamus nos ſuo tem*

pore

pore accepturos & exaudiendos eſſe. Itē, cum uult dominus in nobis fidē exercere, facile inuenit materiã, tentat nos plerunq; in chariſsimis, arduiſsimis, et cũ periculo cõiunctis rebus, ut hic Iayro et muliere perſpicuè cernere eſt. Hæc filia erat unica, annos nata duodecim, iam ferè matura et nubilis, unde pater nepotes ſperaret: hanc parat dominus per mortē auferre, & omnem eius ſpem, præcidere. Ita mulier menſtruo laborat per annos uſq; duodecim, qui fluxus uniuerſas uires borporis planè exhaurit, expē dit uniuerſam ſuã ſubſtantiã in medicos, pro nobili ſanitatis theſauro, nihil ſentit remedij, imò deterius habet, adeò accedit infortuniũ ad infortuniũ, et abyſſus abyſſũ inuocat, ad languorem, et ægritudinē etiam accedit paupertas, duo calamitoſæ res, & maxima mala. Adeò nihil eſt reliquum quàm perpetua paupertas et corporis infirmitas perpetua calamitas, et tandē ipſa mors. Tum primũ ſentimus noſtra bona, cum quæ in poteſtate noſtra habuimus, amiſimus. Porrò ſolus Chriſtus reſtat ſacra anchora et ultimũ remediũ ad eum adcurrũt utriq; & cõſequuntur quod uolũt. Ita domini eſt ſalus. Occupatio. Nõ hoc loco poſtponuntur, et exautorantur medici quaſi inefficaces, et inutiles ut in hac muliere. Sed cauſa eſt, quod dominus aliquando infirmitates ſibi reſeruat medendas ad nominis & uerbi ſui gloriam.

ut Ioan.5.et 9.Eſt ergo imitanda hæc mulier omnibus ægrotis. Primum ut reconciliato deo, per pœnitentiam & orationem, conſulant medicos, quaſi dei miniſtros ad ſanitatem, qui ſi non ſufficerint, ad dominum uerum medicum, & medicorum principem accurrendum eſt, fide et oratione. Poteris hic excurrere in medicinæ commendationē. Quid medicina? Quæ cauſæ? Qui effectus? Quæ officia medicorū, Quatenus illis utendū eſt, Eccle.38. Ab honeſto, quia deus creauit medicū. Ab utili et neceſſario &c. Allegorice interpretantur, dū Chriſtus abit reſuſcitatum Synagogam. Gentes eam præuertiſſe. Aliâs legem in principe Synagogæ, mortua filia, & muliere menſtruoſa, Euangelium in Chriſto deſcribunt. Lex conſternatum reddit animum, peccato, & morti obnoxium, quem ſi expendas, optime cernis in Iayro, et muliere. Euangelium autem ut Chriſtus, omnibus medetur. Puellam animam peccatricem, & morte oppreſſam: Tibicines falſos doctores & conſolatores exponunt. Epilogus conſtat enumeratione ſuperiorum, et exhortatione, ut in quauis neceßitate tentato, & deſperato omni humano præſidio accedamus ad Chriſtum, hunc conemur per fidem cum muliere apprehendere, ut inquit Paulus: Sic curro ut apprehendam.

Epiſtola

EPISTOLA COLOS. I.

De Saluatore Chriſto qui nos tranſtulit à mortalitate ad immortalitatem, à languore ad ſanitatẽ, à morte & uitam, & regnum æternum.

IDeò & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro uobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, ut ambulemus digne, domino per omnia placentes, in omni opere bono, fructificantes et creſcentes in agnitionem Dei, omni uirtute confortati iuxta potentiam gloriæ eius, ad tollerantiam, & patientiam cum gaudio gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad partem ſortis ſanctorũ in lumine. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, per quem habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum.

Porrò pro anni circulo plures aut minores Do*minicæ ſuperſunt, & alij alia* Dominicarum Euan*gelia*

gelia ſtatuunt. Viſum eſt hiſtoriam, quæ alias rara, & non in Dominicarum ſerie eſt, de transfiguratione proxime apponere. Et extremæ dominicæ Euangelium de fine mundi aßignare.

DOMINICA XXV. POST Trinitatis Euangeliũ, Mat. XVII. De transfiguratione Chriſti.

ET poſt dies ſex, aſſumit Ieſus Petrũ et Iacobum et Ioannem fratrẽ eius, & ducit illos in montẽ excelſum ſeorſum, et transfiguratus eſt ante eos Et reſplenduit facies eius ſicut ſol, ueſtimenta aũt eius facta ſunt alba ſicut nix, & ecce, apparuit illis Moſes et Elias cũ eo loquentes: Reſpondens aũt Petrus dixit ad Ieſum: Domine, bonũ eſt, nos hic eſſe. Si uis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Moſi unũ, & Elię unũ. Adhuc eo loquente, ecce nube lucida obũbrauit eos. Et Ecce uox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitũ eſt, ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciẽ ſuam, & timuerũt ualde. Et acceſſit Ieſus, et tetigit eos dixitque

que eis: Surgite, et nolite timere. Leuantes autē oculos ſuos neminē uiderunt, niſi ſolū Ieſum. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit Ieſus, dicens: Nemini dixeritis uiſionē, donec filius hnminis à mortuis reſurgat.

EXordium eſt liberū cum ſuis locis. Propoſitio: *Te dicturū quomodo Chriſtus clarificatus ſit, et quod Moſes, & Elias cum ipſo locuti ſunt. Item, & pater ipſe de cœlo teſtimonium reddit de filio ſuo Chriſto, quē ſtatuit nobis doctorē.* Narratio *à tempore, & ſumitur eius exordium cōmodius à ſuperioribus. Tres tantū aſſumpſit ſecum, qui teſtarentur factum, ne à multis uiſum, nimis diuulgaretur, & raperetur in abuſum, impediretur q́; noſtræ ſalutis negocium: paßio ſcilicet & mors Chriſti.* Facit *prudenter ut bonus doctor, qui non temerè, & ſine diſcrimine omnia myſteria pariter effundit, et proſtituit, ſed delectu ſeruat.*

Et ducit illos.] *Vult alta docere, et tamen ſeorſum, ne à multitudine obruatur.*

Vt oraret.] Addit *Lucas capite. 9.* Relatione *humanitatis Chriſtus orat, ſecundum diuinitatem non opus habebat oratione. Signat hic ſe uerum pontificem maximum, & interceſſorem noſtrum, datque nobis exemplum crebræ orationis: diſci-*

diſcipuli interim dormierunt. Significãt carnis grauedinem, & ſecuritatem ab oratione in rebus ſecundis.

Dum oraret.] *Hoc eſt ſpecimen claritatis Chriſti, & noſtræ in Chriſto, in uita futura. Sic & nos aliquando accipimus ſpiritus ſancti illuſtrationem, & mentis exultationem, dum ſumus hac carne noſtra grauati, ut erigamus animos ad futuram, meliorem, & planè diuinam uitam.*

Et reſplenduit facies.] *Eſt narratio transfigurationis. Et magna conſolatio nobis in medijs erumnis: nempe in nobis eſſe futurum, quod iam in Chriſto cernimus.*

Apparuit illis Moſes & Helias.] *Lex & prophetæ teſtimonium reddunt de Chriſto, hunc ſcilicet eſſe quē uaticinati ſunt, & ut iam ceſſent in eo.*

Loquentes de exceſſu.] *De eius morte, ſcilicet Chriſtum clarificandum eſſe cruce & morte. Aut de ſcopo prophetiarum loquuntur cũ Chriſto: nempe ipſum crucifigendum eſſe, & exceſſum noſtri patris Adæ completurum eſſe Hieroſolymæ.*

Et euigilãtes.] *Diſcipuli è ſomno experrecti ab inopinato & inſueto uidentes clarificatum Chriſtum, animo concußi, exterrentur.*

Bonum eſt nos hic eſſe.] *Ita illecebris & alliciens res eſt æterna beatitudo. Petrus hic ſentit in*

Chriſto

Chriſto guſtum æternæ fœlicitatis: propterea obli-tis alijs rebus omnibus, & uxore, liberis, & tota cognatione optat hic manere.

Neſciebat.] Re tam ſubita & mira raptus: Neſcit, priuſquàm ueniamus ad gloriam, nos eſſe moriendos, & crucifigendos cum Chriſto. Caro libenter uult præter crucem glorificari, ſed ita non procedit.

Ecce nubes lucida.] Deus pater huius claritatis cauſa efficiens & autor, per nubem deſcendit, et umbrat ſe: quoniam non poteſt homo deum uidere & uiuere

Hic filius meus.] Alterum teſtimonium patris de Chriſto. primū in eius baptiſmo, alterū in transfiguratione. Ita & nos per baptiſmum, & transfigurationem reddimur filij Dei.

Dilectus.] Nos ſumus dilecti in dilecto.

Ipſum audite.] Conſtituit eum nobis doctorē. Quid ipſum audire? Poteris hoc ſatis copioſe etiā per Antitheſim declarare, ut inquit ille. Quod ſi Chriſtus audiendus eſt, ergo non ſunt audiendi qui aliud docēt. Ioëlis, Filij Sion exultate in domino deo ueſtro, quia dedit uobis doctorem iuſticiæ &c. Oportuit Chriſtum clarificari: Nam Moſi facies reſplenduit. Collatio à minori. Nā ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multo magis abundat miniſterium

rium iuſticiæ in gloria, 2. Corin. 3. Item Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à patre &c. Et. 2. Petri. 1. Non enim indoctas fabulas ſecuti &c.

Epilogus repetit ſuperiora, & exhortatur, nos Chriſti exemplo clarificandos eſſe. Et Ioannes inquit: Nondum apparuit quod ſumus &c.

DOMINICA II. PETRI. I.

De Chriſti clarificatione.

QVapropter fratres magis ſtudete, ut certam ueſtram uocationem & electionem faciatis: Hæc enim facientes, non labemini. Sic enim abundanter prȩſtabitur uobis introitus in æternum regnum domini, et ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Idcirco non ceſſabo uos ſemper commonere de his, quamquam ſcientes & cõfirmatos in præſenti ueritate. Iuſtum autem arbitror, quàm diu ſum in hoc tabernaculo, excitare uos commonefaciendo, cum ſciam quod breui depoſiturus ſim hoc tabernaculum meum, ſecundum quod & dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Dabo

bo autem operam ut horũ meminiſſe ſemper poſsitis poſt obitũ meum. Non enim arte compoſitas fabulas ſecuti, notam fecimus uobis domini noſtri Ieſu Chriſti uirtutem & præſentiam, ſed ſpectatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à deo patre honorem & gloriam, uoce delapſa ad eum huiuſmodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. Et hanc uocem nos audiuimus de cœlo delatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto.

DOMINICA XXVI. POST TRInitatis *Euangelium, Matth.* XXIIII.

Cũ ergo uideritis abominationẽ deſolatiõis, quæ dicta eſt à Danięle propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat. Tũc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendant ut tollant aliquid de domo ſua. Et qui in agro, nõ reuertantur ut tollant ueſtes ſuas. Væ autẽ prægnan

prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga ueſtra hyeme, uel ſabbato: Erit enim tūc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, uſq; modo, neq; fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua ulla caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc ſi quis uobis dixerit: Ecce hic Chriſtus aut illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi: Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſq; ad Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunque autem fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.

Exordium ſumas unde libet, commodius tamen à ſuperioribus. Propoſitio, *de perpetua deuaſtatione* Iud*æorum ad mundi finem uſq;.* Poſtea *de fine mundi, & iudicio extremo.* Et *quàm periculoſa*

ſa interim erunt tempora de falſa doctrina fidei in Chriſtum. Narratio.

Cum ergo.] *Chriſtus declarat deuaſtationem Hieruſalem, & totius regni Iudaici ex teſtimonio prophetæ Danielis nono, ubi angelus docet tempus Meßiæ ab illo tempore 70. hebdomadas eſſe, uſq; ad Chriſtum, quas ſi in dies multiplices, et dies in annos uertes, inuenies annos 490. à Daniele uſque ad Chriſti mortem, ad quam ſupputationem hiſtoriarum & chronicorũ iuuabunt libri, maximè chronica Caronis. Vnde liquet et cõuincuntur Iudæi Chriſtum iam diu ueniſſe. Porrò inquit angelus, ciuitatem & ſanctuarium deuaſtatũ iri à duce & populo uenturo: à Romanis ſcilicet, eamq; deſolationẽ perpetuam fore ad finem mundi uſq;. Cœpit autẽ poſt Chriſti mortem regnum Iudæorum detrimentũ pati, & torpeſcere, hominesq; in tantam ſecuritatem, prauitatem, & cultus timorisq; dei cõtemptum degenerare, ita ut rex Iudæorum uſq; peior & deterior fieret, adeò ut etiam Idola et hominum ſtatuas ut erat Claudij, Neronis Cæſaris ſtatua, adorarent, quod Chriſtus ex Daniele abominationẽ deſolationis appellat, uerißimum eius deſolationis ſignum.*

Tunc.] *Aggrauat, et exaggerat Chriſtus eã deuaſtationẽ, et deſolationẽ, ſcilicet magnam & horrendam fore, adeò ut niſi abbreuiarentur illi dies*

propter electos, non fieret ſalua omnis caro.

Tunc.] Porrò cauet ſuos Chriſtus per diſcipulos, & prædicat ante finem, mundi multas, et uarias eſſe ſectas et hæreſes, maxime de doctrina fidei in Chriſtum, hoc eſt, de remiſsione peccatorũ, de recõciliatione irati dei, de ſalute animæ, & uita æterna conſequenda, quæ omnia in ſolum Chriſtum competunt, ea diuerſis traditionibus & obſeruationibus adſcribent: quorũ Papatus & Monachatus hactenus refertiſsimus fuit, quæ omnia arguunt et declarant apertis teſtimonijs finẽ mundi, & diem iudicij inſtare, et in foribus eſſe. Poteris hunc locũ ſatis copioſe declarare, et in eo hærere quàm diu uiſum fuerit, et noſtra hactenus tempora multitudini ob oculos ponere, ut tandem uideant ex quantis periculis exemerit nos, dominus, ut admoneatur gratiarũ actionis & timoris domini, uitæq; melioris, poſtq̃ in eius ſumus temporis momento, in quo indies nobis expectandus erit dies ille domini magnus & horribilis, etc. qui nos ut fulgur ab inopinato et in ictu oculi obruet, ut promptum cum ſapientibus uirginibus habeamus oleum, et ardentibus lampadibus obuiam eamus cum ipſo ad perpetuas nuptias.

Vbicunq; autem fuerit cadauer.] Metaphora eſt. Paul. 1. Teſſa. 4. interpretatur, obuiam rapiemur Chriſto in aëra, & ſic cum domino erimus.

Epilogus

Epilogus repetit ſuperiora admonet et exhortatur.

EPISTOLA I. THESS. IIII.

De reſurrectione noſtra, & iudicio extremo.

NOlumus autem ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut et cæteri qui ſpem nõ habent. Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quod nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipſe dominus cum claſsico, et uoce archangeli, & tuba dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui uiuimus, qui relicti ſumus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cũ domino erimus Itaq; cõſolamini uos inuicem per hæc uerba.

CONCIO DE DIVA VIRGINE MARIA, QVAE COMpetit in omnia eius Feſta.

EST generis demonſtratiui perſonæ,quo pietatē,fidē,et Chriſtianā uitam laudamus, et proponimus imitandū. Exordiū eſt liberū,maximè tamē à tempore aut ab hiſtorijs tractandis.. Captatio beneuolentiæ,attentionis et docilitatis.Propoſitio de diua uirgine Maria.

Inſinuatio,qua admones auditores differentiæ, Mariæ & Chriſti.

Tractandarum hiſtoriarum fidem faciet confirmatio ab honeſto,utili,neceſſario,iucūdo,antiquo, &c. Ab exemplis,Eccle.44.Hebræ.11. A ſimilibus, A minoribus exemplis gentilium.

Narratio. A natalibus.Ex tribu Dauid. Mat. 1 De parentibus certo non conſtat, certè ex humilibus nata,aiunt ex Ioachimo & Anna.

A Natione.Iudææ Galilea.

A patria.Nazareth,Lucæ 1.

Pueritia et educatio incognita eſt. Præſentationem tamen huc adfinxerunt,quod ſit in templo ab efformatoribus in lege domini edocta, & educata, non eſt abſurdum tamen. Adoleſcen

Adoleſcentia. Nupſit Ioſeph, fide concepit, geſtauit ad Elizabet, peperit, obtulit, circumcidit, et educauit Chriſtũ. Hæc poteris per Euangelicas hiſtorias amplificare.

Iuuentus. A rebus geſtis, de cruce, de fuga in Aegyptum, Matth. 2. Vbi perdit Chriſtum, Luc. 2. De eius doloribus in paßione filij Chriſti ſub cruce.

Quod relicta ſit in mundo poſt Chriſti aſcenſionem, ubi Chriſtus ſecundum carnem penitus oblatus eſt perpeſſa, eſt hæreticorum & impiorum indignas obtrectationes.

De moribus et animi conditione. Huc refer uirtutum ſpecies. Honeſtatem, pietatem, religionem, fortitudinem, conſtantiam, temperantiam, familiaritatem, modeſtiam, &c.

A Corporis habitu, cultu, geſtu adeò modeſto, honeſto & uerecundo, ut nihil ſupra: ubi cum Angelo & Elizabet loquitur.

A fortuna. Humilitatem. Qui reſpexit humil. Luc. 1. Senectus. Expleuit iuſtam ætatem. Mors. Eleuatio, Lõgobardicæ hiſtoriæ de eius morte. Exclamatio tantæ, tam caſtæ, puræ, & fidei plenæ uirginis. Pro exemplo omnibus pijs exponenda, maximè uirginibus.

Epilogus recitat ſuperiora, hortatur ad imitationẽ in genere quoſuis homines, in ſpecie uirgines.

Locum autem qui competit in illud quod celebratur Feſtum poteris exponere latius, et in illo hærere diutius ut de Annunciatione, Purificatione, Viſitatione, &c. Cæteros autem perſtringere tantū.

CONCIO DE S. IOANNE QVAE competit in cuncta eius Feſta.

PRænarretur eius feſti euangelium, Quod eſt generis Demonſtratiui perſonæ, quo laudamus eius pietatem, fidem, & uitam Chriſtianam, quam pro imitatione proponimus.

Exordium eſt liberum cum ſuis locis.

Propoſitio. Declaraturus Ioannem ut uerum præconem Chriſti.

Narratio à definitione. Ioannes à gratia nomē habet, ab officio præcurſor, angelus Meßiæ, uox clamantis in deſerto.

A natalibus. De tribu Abia.

A parentibus. Zacharia, & Elizabet.

A conceptione. Per angelum nunciatus eſt, plenus erat ſpiritu adhuc in utero matris, Chriſtū præſentem in utero agnouit.

A natiuitate. Pater mutus loquitur.

Ab infantia & educatione non diſcrepat à cæteris pueris, ſed certè pie educatus.

A uitæ genere. In deſertis uixit, comedit mel ſylueſtre, uinum & ſyceram non bibit.

A corporis

A corporis habitu. Indutus erat pilis camelorum, & zona pellicea ſuccinctus. Refutatio imitationis habitus ſanctorum.

Ab animi conditione. Habuit ſpiritum & uirtutem Eliæ.

A ætate et tẽpore. A prima ætate in deſertis uixit ad triginta annos uſq; , dũ erat producẽdus Iſraeli.

A iuuentute & rebus geſtis. A trigeſimo anno prædicauit, baptizauit, aßignauit Meßiam, et præſtruxit illi uiã prædicatione, et baptiſmo pœnitentiæ, dedit ſcientiam ſalutis populo, Ioan. 1. 2. 3. Lu. 1.

A moribus. Carpebat cuiuſq; uitia, & rectam uitæ rationem dedit, Lucæ 3.

A morte. Arguebat Herodem Ioannes propter adulteriũ, quod cõmiſit cũ fratris Philippi uxore. Herodes ſententiã mutare noluit, tenuit et uinxit in carcere. Hinc miſit Ioannes diſcipulos ſuos ad Chriſtum. Tandem adornans Herodes natalem ſuũ diem per fallacias decollauit, Mat. 14. 6. Lucæ 9.

Exclamationes à circunſtantijs inſignis præconis Chriſti. Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Ab exemplo, omnibus præconibus Chriſti.

Epilogus enumerat, & exhortatur. Moraberis & interpretaberis latius locum qui competit in eius Feſti Euangelium, ut de natiuitate, decollatione, &c.

CONCIO DE APOSTOLIS, IN quorum Euangelijs plerunq; ſcopus eſt, Vocatio ſeu miſsio.

EST generis didaſcalici. Exordium liberũ eſt, aut à perſona, loco, tempore, &c. Cum ſuis locis. Captatione beneuolentiæ, attentionis et docilitatis. Propoſitio de uocatione.

Narratio à definitione. Quid uocatio?

A cauſa efficiente. Deus, aut qui dei uice fungitur.

A cauſa finali. Vt dei negocium exequatur.

Ab officio id ſolum curare, quod poſtulat uocatio.

Ab effectu. Dominus adſpirat & operatur in uocatione.

A qualitate animi, ſeu adfectus uocatorũ, Eſa. 52 Ro. 10. Quàm ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacẽ, prædicantium bona, Eſa. 6. Ecce ego mitto, &c.

A diuiſione. Duplex eſt uocatio: Generalis & ſpecialis. Generaliter omnes per prædicationẽ Euangelij uocamur ad fidem, uerbum et regnũ dei, ut eſt Mat. Vocauit multos. Item, Multi ſunt uocati. 1. Cor. 1. Videte fratres uocationem ueſtram.

Specialis uocatio eſt ſingulare cuiuſq; uitæ genus ſecundum fidem & uerbum dei, in quo, deo & proximo ſeruimus. Eius tot ſunt partes, quot ſunt uitæ genera. Vocat eos nominatim, Ioan. 10. Circumamicta uarietatibus, Pſal. 44. Hoc poteris per diſtri

butionem amplificare, ut ſunt Concionatores, Epiſcopi, Doctores, Eccleſiæ miniſtri, Ludi, magiſtri, Magiſtratus, Cæſar, Rex, Princeps, Prætor, Conſul Senator, Iudex, Paterfamilias, Opifices, Reipublicæ miniſtri. Summa, nemo caret uocatione, adeò ne puer quidem, nec ſeruus, nec ancilla. Hinc obiter naſcitur præoccupatio, qua refutatur Monachatus & tota Papalis uita, Sectarij, qui non ſunt in uocatione Domini.

À cautione. Vnuſq; in ea uocatione, qua uocauit eum Dominus maneat, donec aliam det uocationem, 1. Cor. 7. Seruus uocatus es, non ſit tibi curæ, ſed ſi poteris liber fieri, magis utere. Vocationem locus nō mutat, modo maneas in eadem uocatione.

Partes uocationis duæ: Deus et homines. Quos deus uocat, uario & miro modo facit, ut etiam ab hominibus uocentur, ut Saul, Dauid. Prophetæ autem et Apoſtoli à Domino non ab hominibus uocabantur, ſed dabatur interiudicium quos ſuſciperēt, quos reijcerent, Deu. 13 & 18. Et Ioan. 10. Qui intrat per oſtium hic paſtor eſt ouium. Ratio eligendi ſeu uocandi uaria eſt, Actorū 1. de Matthia. Item ut legimus in primitiua Eccleſia de diuo Nicolao, pleriſq; alijs Epiſcopis factum. Item in ordinatione Lubecēſi, imitata à diuo Paulo per manuum impoſitionem, Vnde admonent 1. Timo. 3. Manus ne

cito cui imponas. Adeò Chriſtus per totam noctem orauit antequàm uocauit & emiſit Apoſtolos, Lucæ. 6.

Confirmatio ab exemplis & ſcripturæ locis, Gen. 9. Dominus uocauit Abraham de Hur Chaldæorum. Vocauit Moſe de medio Rubi, Exod. 3. Samuelem, Dauidem, Eliam, Eliſeum. Factum eſt uerbum domini ad Prophetas omnes. Vocauit Apoſtolos, Math. 4. 9. 10. 25. 28. Lucæ 6. 10. 19. Mar. ult. Rom. 10. Item, Paulus toties teſtatur ſuam uocationem in Actis, & ſingulis Epiſtolis.

Vocationum collatio: Vni decem, alijs. 5. alteri. 2. talenta tradit Dominus, Matth. 23. Lucæ 19. Cæterũ non eſt perſonarum reſpectus apud Deum. Dona ſpiritus uaria ſunt, unus aũt ſpiritus diuidẽs ſingulis ut uult. 1. Corinth. 12. per totũ caput. À ſimilitudine ſtellarũ, ubi alia aliam claritate ſuperat, attamen in eodẽ firmamento conſtitutæ. À diuerſis membris corporis, non eundem actũ habentibus, attamen in eodẽ corpore, cõpoſitis. Vocationum diuerſitas: Aliter uocatus eſt Petrus, aliter Ioannes. Ioan. ult. Paulus ſe ſegregatũ dicit ad Euangeliũ Dei. Hieremias, inquit: Ab utero uocauit me ſeruum ſibi Dominus. Vocationem ſuam teſtatur ſpiritus, & conſcientia, propterea uerè uocati, mẽte ſunt quietiores: Non uocati, inquietiores.

Con

Confirmationum loci ſunt. Ab honeſto, quia à Deo & pijs hominibus. Ab utili, quia in Dei honorem & commodum proximi.

À neceſſario. Quia reſpublica frugi hominibus carere non poteſt.

A iucundo. Quia eſt ibi bona conſcientia, & uidet bonos ſuæ uocationis fructus, & fœlices ſucceſſus, benedictionem Domini.

A facili. Quia Dominus adſpirat & adiuuat. Ego tecum ero, Hierem. 1. Ero uobiſcum, Matth. ultimo. Non uos eſtis qui loquimini. Non erit impoſſibile apud Deum omne uerbum, Lucæ 1.

Ab antiquo. Quia honeſta uitæ genera à ferè condito mundo fuerunt & perdurant.

CONTENTIO AB ANTITHESI.

Ab inhoneſto. Non à Deo, nec ab hominibus uocatus, ſed ſeſe ingeſſit.

Ab inutili. Quia cædit in damnum reipub. nec cædit in Dei honorem.

A non neceſſario. Quia reſpub. non opus habet, & facile carere poteſt.

Ab iniucundo. Quia ſequitur mala conſcientia, & mali euentus.

A difficili. Quia Dominus non aſpirat & cooperatur.

A nouo. Quia uerbum Dei eſt antiquiſſimum, ergo

ergo hæreſes nouæ & malæ ſunt. Generalia *officia quibus ſuſtentatur reſpublica, ſunt antiquiſsima,* Ergo *nouæ artes ſunt impoſturæ hominum.*

À *ſcripturæ ſententijs.* Hebr. 5. Nemo *ſumat ſibi honorem niſi uocatus à* Deo *tanquàm* Aaron. *Siquidem citra uocationem nihil bene cædit, nec habet fœlices ſucceſſus, ut bona eſt intentio.*

Ab exemplis. O*za attigit arcã* Domini *& perijt* 2. *Regum* 6. Filij Aaron, Nadab *&* Abihu, *præter iuſſum uolebant ſacrificare & igni perierunt.* Leuit. 10. Dathan, Chore *&* Abiron, *terra abſorpſit, quod* Moſe *officium ſibi arrogabant.* Abſalon *male perijt, quod patris regnum adfectauit, omnes hæretici.* Sectarij, *Suuermeri, ius docendi ſibi arrogantes, male perierunt: Siquidem currebant, et nõ miſi eos,* Hiere. 23. Expecta *uocationẽ,* Inueniet te Dominus, *& ij, qui ius uocandi habent, etiamſi fueris in piſtrino.*

Ab exẽplis. Tulit Dauid *ab ouibus,* Moſe *à gregibus,* Amos *ab armentis,* Elizeum *ab aratro,* Apoſtolos *à retibus,* Samuelem *è ſomno, &c.*

Vocatus, *urge tuam uocationem, & uiriliter age in* Domino, *adminiſtra prouinciam tuam pro uiribus.*

Præſumptio à fanaticis ſpiritibus, quos (ut aiunt) ſpiritus urget ad docendum, ut ſunt noſtri Suuermeri,

meri, omnes hi iuxta conſilium Ioannis, probandi ſunt, an ex Deo ſint, & ſecum ferant ſanam doctrinam. Quoniam qui non uocatus, ultro uolebat ſequi Chriſtum non admittitur, Matth. 8.

Vocatio ſeria res eſt, & propter hanc quiduis relinquendum. Apoſtoli uocati reliquerunt retia, nauem, & patrem ipſum, Matth. 4. Item, Qui non reliquerit patrem, & matrem, uxorem, filios, domum, agros: tandem, & abnegauerit ſeipſum, propter me, non eſt me dignus.

Vaſthi regina Aſſueri uocata, uoluit uenire, propterea repudiata eſt, Heſter 1. cap.

Ionas uenit in ſummum uitæ diſcrimen, quod non obſequitur, Ionæ. 1.

Vocationi non obtemperant, qui propter iuga boum uillam & uxorem, non poſſunt uenire, Matth. 22.

Qui uocationem negligunt, bis peccant. Sunt Deo inobedientes, & fidem perdunt. Væ mihi, ſi non euangelizauero, 1 Corinth. 9.

Vocationem nihil debet impedire, Per uiam neminem ſalutaueris, Matth. 10. Si occurrerit tibi homo non ſalutes eum. Si ſalutauerit, non reſpondeas illi. 4. Reg. 4. Primæ uocationi obſequendum eſt, altera eſt tentatio, ut Gen. 22. Tentauit Deus Abraham. Tenta te, quicquid te retrahit, ut prophetam

phetã.3.Reg. 13. qui propterea à leone dilaniatus eſt. Qui uocationis ſuæ laborem expendunt, non peccant, ſi grauiter ſuſcipiunt ut Moſes. Hieremias, Ionas, Ananias. Peccant utiq; ſi plane recuſent. Atque peccat, qui citra uocationem currit, et qui uocatus recuſat, ſequi: Nemo uenit ad nuptias, ad cœnam, niſi uocatus. Non laboramus in uinea domini, niſi conducti. Epilogus ſuperiora breuiter repetit, exhortatur, & admonet.

FINIS.

